COMMENTATIONUM
LYSIACARUM
CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CHRISTIANUS RENNER

GYMNASII GOTTINGENSIS COLLABORATOR.

GOTTINGAE 1869.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

ERNESTO CURTIO

BEROLINENSI

ET

LEOPOLDO SCHMIDTIO

MARBURGENSI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

CAPUT PRIMUM.

Inter scriptores Graecos, ex quibus cognitio rerum sub finem belli Peloponnesiaci et paullo post hoc bellum finitum factarum nobis ducenda sit, ut res nunc se habet, egregium locum ac principem fere obtinere Lysiam, oratorem Atticum, omnes fere, qui hoc tempore facta perscrutati sunt, viri docti Germani statuerunt. Quos omnes non recte judicasse ratus Hermannus Stetefeldt, vir doctus fortisque [1]) quaestionem de Lysiae fide historica instituit, qua oratorem consulto »ita disponere omnia, quae inde a clade Hellespontica usque ad XXX virorum dominatum facta esse narrat, ut quae ante, quae post Athenas captas acciderint, nusquam certum sit et indubium« eumque »dedita opera« res confundere (p. 15) neque sincero animo narrare (p. 17), ubi veritas eis obstat, quae efficere velit, probare sibi visus est.

Neque vero disputationem instituere in animo est, num Lysias, qui vita per se spectata, quum de Atheniensium re publica non uno nomine meritus sit, haud parvi nobis aestimandus est, tali animi sinceritate fuerit, ut calumniationes vel narrationes, quae consulto a veritate recedant, ei attribui non possint. Qua re ad certum finem nos pervenire non posse — caussidicus enim partem suam ita amplectitur, ut sine ira et studio judicare jam non possit — E. de Leutsch [2]) rectissime demonstravit.

Jam vero, si de indole oratoria judicium ferre velimus, hoc unum quaerendum est, quo modo orator ea, quae demonstrare sibi proposuerit, assequutus sit, et quo modo ora-

---

1) De Lysandri Plutarchei fontibus. Dissert. histor. Bonnae 1867. Formis Car. Georgi, p. 5—22.

2) Philologus, vol. XXV, p. 234. Etiam Vischerus (Jahns Jahrbücher, vol. 73, 1, p. 7.), quamquam iniquius de Lysia seutit (cf. Rauchenstein, Schweizerisches Museum, vol. II, 277.) oratoris judicia, quae a veritate recedant, pleraque ita explicavit, ut partis studio, quod veritatem occuluerit, ductus sit.

tio cum rei ratione ac cum veterum legibus concinat[1]); si historiae cognitionem ex oratore ducere volumus, in eo num ea quae tradiderit vera sint fidemque habeant, omnis quaestio versatur. Atque ea, quae Lysias de tempore sub finem belli Peloponnesiaci narraverit, reliquis testibus accurate comparatis disceptantes nos ad Stetefeldti sententias rejiciendas perduci puto. Qua in re cum Rauschensteinio (Schweizerisches Museum, vol. VI, p. 267 sqq.), qui Stetefeldti, argumenta nimia fortasse fiducia proferentis, judicia comiter correxit, me in universum consentire gaudeo. Cujus viri judicio gravissimo hanc disputationem jam supervacaneam fieri jure quodam quis dixerit; attamen quum Rauchensteinius nonnulla solum levioribus omissis (p. 277) tractaverit atque haec disputatio, priusquam ad Rauchensteinianae cognitionem Blassii adnotatione (p. 556) ductus essem, ad finem fere perducta sit, nihilo minus, quae recta mihi esse videantur, proferam.

Stetefeldtus Grotium (history of Greece, vol. VIII. London 1850.), quippe qui de virorum doctorum sententiis disputare supersederit, sequutus sententiam suam proposuit (p. 14). Grotius enim (p. 319, adn.) praetorum et centurionum accusationem a Lysia XIII §. 5—34 ad falsum tempus — ante Athenas a Lysandro captas, quum post deditionem demum facta sit — referri contendit. Atque infra, quomodo haec res nobis se habere videatur, indicabimus, hoc loco commemoremus, Grotium, etiamsi in illa re praecipua oratoris fidem addubitet neque optimatium insidias ante urbem captam, quibus oratores — praecipue Lysias intelligendus est — plurimum tribuant, ullam ad ea, quae acciderint, vim habuisse putet, tamen Lysia in universum ac pluribus in narrationibus, quas Stetefeldtus, quum fidei incertae argumenta praebeant, rejecit, felicissime in rebus describendis usum esse.

Stetefeldtus igitur in initio disputationis suae (p. 7) relationi rerum gestarum Xenophonteae (historia Graeca, II, 2 sqq.) ea, quae Lysias XII, 43—47, 68—78 et XIII, 5—36 de eodem tempore narrat, prorsus contraria esse statuit. Quod equidem negaverim, immo quid uterque scriptor sibi voluerit, accuratius considerato Lysiaca illa scientiae nostrae e Xenophonte petitae supplementum optime adhiberi posse putaverim[2]). Qua in re non possum, quin rem, de qua vv. dd. jam

1) Qua ratione hae res hucusque justo magis neglectae tractandae sint, exemplum nuper praeclarum edidit Fr. Blass, Geschichte der attischen Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias. Leipz. 1868.

2) Idem fere scholae ratione habita auctor noctium scholasticarum (Jahns Jahrbücher, vol. 98, p. 195) judicat, qui orationes Lysiacas nisi Xenophontis historia Graeca antea lecta, cui ut perspicuae temporis illius imagines praebeant inserantur, apte discipulis proponi non posse rectissime statuit.

saepius atque uberius exposuerunt, iterum tangam. Ut enim historici est, omnia, quae alicujus momenti ad historiam conformandam fuerint, sub uno quasi conspectu posita, quo quidque plus valeat, eo accuratius describere — cujus rei exemplum Xenophontem nequaquam proposuerim —, orator in accusando hoc habet officium, ut ea, quibus culpa adversarii aliqua ex ratione contineatur, diligentissime exponat ac clarissima luce perfundat. Si igitur complura ad malum efficiendum, vel, ut nostram quaestionem spectem, ad rem publicam diruendam simul contulerint, oratori aliquem ex auctoribus malorum, quae acciderint, accusanti, ea sola, quae ab illo male facta sint vel aliquo modo in eum cadant, reliquis ita ut tota res intellegi possit commemoratis explicanda et quam maxime illustranda sunt. Quo difficultas, quae historico in orationibus in usum suum adhibendis occurrit, efficitur; neque vero eam ob rem oratorem quisquam jure vituperet. Ac mirum sane ac ridiculum esset, si Lysias in Eratosthene et Agorato accusando de Lacedaemoniorum inexpiabili in urbem Athenas odio deque ejusmodi rebus dissereret, quod accusati illi ad Lacedaemoniorum imperium instituendum contulissent, leviter tangeret. At nihilo minus Stetefeldtus, quum (p. 7) Lysiam neque famem neque Lacedaemoniorum adversus Athenas animum unquam commemorare dicat, rem justo plus exaggerat. Or. XIII, §. 11 enim legitur: *Ἐκεῖνος* — Theramenes — ... *καταλιπὼν ὑμᾶς πολιορκουμένους εἰδὼς τὸ ὑμέτερον πλῆθος ἐν ἀπορίᾳ ἐχόμενον καὶ διὰ τὸν πόλεμον καὶ τὰ κακὰ τοὺς πολλοὺς τῶν ἐπιτηδείων ἐνδεεῖς ὄντας, νομίζων εἰ διαθείη ὑμᾶς ἀπόρως, ὥσπερ διέθηκεν, ἀσμένως ὁποιαντινοῦν ἐθελῆσαι ἂν εἰρήνην ποιήσασθαι.* Nec non Lacedaemoniorum mentio injicitur XII, 44: *οὕτως οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε.* Quae ipsa verba indicium quasi sunt, Lysiam non consulto de Lacedaemoniorum insidiis tacere, sed eam ob caussam, quod notissimae sint ac nemini non satis cognitae, sibi ipsi autem de aliis rebus dicendum sit. Qua ratione simul indicant, quo modo oratoribus utendum sit.

Si igitur in eo, quod Lysias ea, quae Lacedaemonii moliti sunt, minus respiciat, ne minima oratoris fidei addubitandae caussa inest, haud major suspitio ei inde oritur, quod Xenophon optimatum insidias neglegat. Quum enim in universum quisque, ne ex scriptoris silentio conclusiones suas temere ducat, maximopere cavere debeat, tum hoc loco caussae pleraeque, quam ob rem Xenophon de his rebus tacuerit, adsunt. Nam optimatum insidiae ei non tantae videbantur, quantae fuerunt. Quae res facile explicari potest, quod Xenophontem, qui praeterea posteriore tempore scripsit, rei publicae partium cogni-

tionem non tam diligentem, quam Lysiam, metoecum quidem, sed sorte sua his rebus maxime implicitum (cf. Frohberger, Philol. vol. XIV, p. 329. Arnold Schaefer, Philol. vol. XVIII, p. 189) habuisse verisimile est. Fortasse autem, ut Stetefeldtus ipse in universum indicavit (p. 7 sq.), de his rebus narrare noluit. Xenophontem enim Spartae laudatorem optimatumque fautorem esse notum est, sed illius ipsius partis, quam Theramenes — per maximum vitae spatium — sequutus est, rationes in universum amplexum esse Theramenique ipsi, ut ex tota ratione, qua res ab eo gestas commemorat, eum loquentem facit, Critiae opponit, favisse videtur[1]). Atque omnino, etiamsi illud Niebuhrii, Xenophonte pejorem civem non habuisse Athenas, fortius dictum est, tamen is, qui res Athenienses penitus perspicere ac recte describere velit, aliter sentiat necesse est.

Quae omnia quamvis vera sint, ne Xenophon quidem Theramenis quam ego cum multis vv. dd. statuo proditionem prorsus tegere potuit. Cujus rei indicium praebent verba (hist. Gr. II, 2, 16), quibus Theramenis ad Lysandrum iter commemorat: *πεμφθεὶς δὲ διέτριβε παρὰ Λυσάνδρῳ τρεῖς μῆνας καὶ πλεῖον, ἐπιτηρῶν ὁπότε Ἀθηναῖοι ἔμελλον διὰ τὸ ἐπιλελοιπέναι τὸν σῖτον ἅπαντα ὅτι τις λέγοι ὁμολογήσειν. ἐπεὶ δ'ἧκε τετάρτῳ μηνὶ, ἀπήγγειλεν ἐν ἐκκλησίᾳ, ὅτι αὐτὸν Λύσανδρος τέως μέν κατέχοι;* quae si quis accurate pendat fidem Lysiacae de optimatium insidiis narrationi non esse denegandam indicio sunt[2]). Theramenem enim, ut posteriore tempore partis optimatium alterius principem fuisse constat, etiam ante urbem captam parti civium minori, quae quo magis reliquos animus deficeret, eo magis robore cresceret, praefuisse verisimillimum est. Qui quum illo tempore cum parte sua urbem Lacedaemoniis tradendam conditionesque acerbissimas (cf. praeterea Xen. h. Gr. II, 2, 15 cum II, 2, 20) imponendas curaverit, ut Lacedaemoniis adjuvantibus res publica everteretur sibique ipsis subjiceretur, quis neget, hanc partem, quam primum posset, ea quae ad consilia sua perficienda maxime idonea essent, aggressam esse? Atque eam jam tum aliquantum valuisse, reliquum autem populum ad tantam desperationem ductum esse, ut illa poenas delictorum timere non deberet, Theramenis legatione probatur.

---

1) Cf. etiam Herbst, die Schlacht bei den Arginusen. Programm des Johanneum zu Hamburg. 1855. p. 58 sq. et quem citat Thuc. VIII, 93, 3. Quod Agoratus atque etiam Nicomachus nusquam ab historico commemorantur, de hac re cf. Kayser, Philol. vol. XXV, 323 sq.

1) Stetefeldto igitur Xenophontem negare dicenti, Theramenem quidquam perniciosi in patriam ultro molitum esse, non adsentiam.

Quum autem disputatio in illud Theramenis iter inciderit, Lysiae de hac re narrationem, quippe in qua Stetefeldtus praecipuas fallaciae caussas deprehendere sibi visus sit, accuratius contemplemur. Lysias in or. XIII, §. 9 Theramenem, postquam legati a Lacedaemoniorum finibus irriti redierint, dicit pollicitum esse, si populus ipsum legatum de pace summa potestate praeditum crearet, se effecturum, *ὥστε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτε ἄλλο τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν· οἴοιτο δὲ καὶ ἄλλο τι ἀγαθὸν παρὰ Λακεδαιμονίων τῇ πόλει εὑρήσεσθαι.* Ac re vera Spartam missum ibique, quum cives suos maxima inopia laborantes reliquerit, diu moratum esse, ut ad quamcunque pacem propensos faceret. Quo in loco Lysiam a narratione Xenophontea (II, 2, 16), qua duae Theramenis legationes, altera ad Lysandrum, altera ad Lacedaemonios discernuntur[1]), eam ob caussam Stetefeldtus recessisse putat (p. 15), quod judices rebus secundum veritatem traditis intellexissent, »Theramenem antequam ad Lacedaemonios mitteretur nihil promisisse civitati, neque pacis eum solum auctorem fuisse neque longae morae, sed utriusque rei[2]) parem vel etiam majorem culpam transferendam esse in novem ejus collegas, quos populari caussae addictos fuisse censet. Qua in quaestione Lysias quae sibi hoc loco voluerit respiciamus necesse est.

Propositum autem est oratori, ut Theramenem proditorem, qui cum hostibus acerrimis conspiravisset, probaret. Quam ad rem demonstrandam accurata narratione ei opus non fuit. Sed tantum abest, ut re diligenter exposita clientis commodo offecerit, ut omnia optime in usum suum convertere potuerit. Quid enim magis opprobrio Therameni dari potest, quam illa apud Lysandrum commoratio, quam conjuratio illa cum homine popularibus omnium infestissimo in cives suos facta? Ceterum promissa, quae Theramenem dedisse Lysias narrat, quamquam Xenophontem in universum de his legationibus accuratius tradidisse verisimile sit, vera nobis habenda esse

---

1) Lysiam has res non accurate narrare, primus, quantum equidem scio, Sauppius (apud Rauchensteinium ed. IV, p. 254) expressis verbis comparato praeter Xenophontem Plutarchi Lysandro c. XV monuit.

2) Quum Theramenes ad Lysandrum solus profectus ibique plus quam tres menses temporis moratus sit, *morae culpa in eum solum cadit.* — Simul afferre libet, Grotium VIII, p. 308: he — Theramenes — was accordingly sent, in spite of strong protest from the senate of Areopagus and others, quem Stetefeldtus p. 7 „Theramenes .... frustra intercedentibus Areopagitis ad Lacedaemonem mittitur“ fortasse respexit, a testis sui verbis justo longius recedere. Lysiae verba enim, in quibus nititur, haece (XII, 69) sunt: *Ὑμεῖς δὲ, ὦ ἄ. Ἀ., πραττούσης τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς σωτήρια, ἀντιλεγόντων δὲ πολλῶν Θηραμένει .... ὅμως ἐπετρέψατε αὐτῷ πατρίδα* sqq. Cf. Curtius, Griechische Geschichte, zweite Aufl. Berl. 1865. Vol. II, p. 723.

puto, si quidem ea ante Theramenis ad Lysandrum iter facta esse accipiamus [1]). Quum enim Xenophon (II, 2, 11–16) tradat, priori Atheniensium legationi hoc praecipue mandatum esse, ut muri servarentur, Lacedaemoniis autem partem — decem stadia — murorum longorum diruendam esse postulantibus populiscitum esse factum, quo caveretur, ne de his rebus quis diceret, quo modo fieri potuit, ut populus hominem, quem paullo ante non gratissimum fuisse Lysias (XIII, 10) certo argumento allato comprobat, ad hostem infestissimum mitteret, nisi pacem meliorem se perfecturum esse promisisset? Fac igitur judices re accurate relata Theramenem ad ephoros profecturum nihil promisisse intellexissent, nihil hoc ad viri culpam minuendam meliusque de eo judicium efficiendum valere potuit. Cujus astutia et ignominia ea in re infuit, quod populum eo tempore, quo malum etiam mitigari posset, dictis fallacibus decepit.

Neque vero judices, si Lysias accurate narravisset, parem vel majorem culpam novem Theramenis collegis adjudicaturos fuisse putaverim. Quis est enim, qui etiamsi Xenophontem solum testem adhibeat non statim perspiciat, Theramenem, ut omnium, quae cnm hostibus hoc tempore acta sint, auctor fuit, sic etiam in hac legatione principem se gessisse et vocem praeivisse [2])? Nam reliquorum legatorum nusquam nomina referuntur, Theramenes *πρεσβευτὴς αὐτοκράτωρ* (Xen. h. gr. II, 2, 17) tantum adjectis verbis *δέκατος αὐτὸς* mittitur, legatis autem reversis *Θηραμένης αὐτῶν προηγόρει* (Xen. II, 2, 22 cf. Plut. Lys. XIV) ac paullo ante (§. 21) *Θηραμένης καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρέσβεις* commemorantur (cf. Lys. XII, 73–74). In universum autem hic divendi usus constat, ut nomen proprium verbo *αὐτὸς* et numerali aliquo adjecto eorum, qui simul munere functi sint, excellentissimum significet [3]). Ac ne illud quidem novem reliquos legatos a parte populari stetisse verisimile est, ut Rauchensteinius demonstravit (Schweiz. Mus. vol. VI. p. 270). Omnino autem altera illa ad ephoros legatio, in qua Theramenes novem collegas habuit, ad rerum cursum haud magni momenti fuit, quippe qua, quae in Lacedaemoniorum castris inter Lysandrum et Theramenem convenerant, simplicitur rata facta sunt.

---

1) Ita statuerunt: Scheibe, oligarchische Umwälzung p. 41. Curtius, Gr. Gr. l. c. Kock, Aristoph. ranae. Berl. 1856. praef. p. 18. Etiam Grotius aliqua eum promisisse concedit vol. VIII, 308: he pretended farther to possess personal influence, founded on circumstances wich he could not divulge, such as would very probably ensure a mitigation of the doom.

2) Qua in re Stetefeldtus prorsus aliter sentire videtur quam Grotius, qui reliquorum legatorum nullam omnino mentionem habeat: VIII, 309 sq.

3) Cf. Krueger, Grammatik. I, §. 51, 6 Anm. 1 et Thuc. II, 13: *Περικλῆς ὁ Ξανθίππου στρατηγὸς ὢν Ἀθηναίων δεκατὸς αὐτός.*

Sed jam ad aliam quaestionem transeamus. Viri docti enim plerique veterum de Athenarum deditione nuntios ita intellexerunt, ut pace facta Lysander Athenas vectus naves murosque acciperet conditionesque tempore constituto perficiendas Atheniensibus relinqueret. Quo facto avectus in Sami oppugnatione perrexit. Unde ab optimatibus vel a Theramene solo nuntio clam misso revocatus Athenienses pacis conditiones non exsequutos esse accusat murosque diruendos navesque comburendas tibicinibus adcantantibus cum summo sociorum gaudio curat ac statim contione convocata ut XXX viri instituantur Lacedaemoniorum auctoritate evincit[1]). Hanc igitur narrationem Stetefeldtus Scheibii inventa nominat, quibus tamquam expositionis fundamento Curtius nixus sit (p. 14). Explicari enim non posse arbitratur, quam ob rem Lysander, ubi primum Athenas venit, muros navesque diruendas non curaverit, ac numquam ducem sapientem fortunae tantum dedisse statuit; praeterea autem maxime miratur, quod Spartanorum socii contra generalem hominum naturam non statim post rem peractam, sed compluribus mensibus post gaudio elati sint. Quae omnia statim post deditionem facta esse persuasissimum est Stetefeldto.

Videamus igitur primum quidem, num illa per se spectata minime verisimillima, ut Stetefeldtus judicat, sint, deinde autem, utrum cum eis, quae fontes exhibeant, concinant an Scheibii inventa sint. Rebus Atheniensibus autem post pugnam apud Aegos flumen commissam accuratius consideratis Lysander illa, qua Scheibius statuit, ratione nihil fere fortunae dedisse mihi videtur. Stetefeldtus enim omnium rerum inopiam et magnitudinem calamitatis, quae pugna in Hellesponto facta Athenis exorta est, omnino non respexit. Bellum Peloponnesiacum extremis annis summa tantum omnium virium contentione ab Atheniensibus contra Spartanos Persarum subsidiis adjutos gestum esse notum est. Jam clade in Hellesponto accepta statim omnes Samiis exceptis socii, in quibus totum Athenarum robur positum erat, desciverunt, Lysander totum mare Aegeum pontique Euxini, a cujus oris plurimum Atheniensibus frumentum afferebatur, aditus obtinebat, ab Atheniensibus ipsis autem in deditione obsides accepit[2]).

---

1) cf. Scheibe, die oligarchische Umwälzung u. s. w. Leipz. 1841, p. 47 sq. 55 sq. Curtius, Gr. Gesch. p. 725, 730, 762 sq.)

2) Stetefeldti sententiam hac in re comprobo, qui (p. 34) in Plutarchi Lysandro c. XIV, quo pacis conditiones ab ephoris dictae sic afferuntur: *καββαλόντες τὸν Πειραιᾶ καὶ τὰ μάκρα σκέλη, καὶ ἐκβάντες ἐκ πασῶν τῶν πόλεων τὰν αὐτῶν γᾶν ἔχοντες, ταῦτά κα δρῶντες τὰν εἰράναν ἔχοιτε, ἃ χρὴ δόντες, καὶ τοὺς φυγάδας ἀνέντες* sqq. pro verbis *ἃ χρὴ δόντες* Schneiderum sequutus comparato Lysia (XII, 68) *ὑπέσχετο δὲ* — Theramenses — *εἰρήνην ποιήσειν μήτε ὅμηρα δοὺς μήτε τὰ τείχη καθελὼν μήτε τάς ναῦς παραδούς* proposuit *ὅμηρα δόντες*. Locum Plutarcheum

Quibus omnibus si addamus, Athenis captis jam optimatium factionem Spartanis amicam propendere, quid periculosi habuerit, quod Lysander pacis conditionum partem non exsequutus Athenis discesserit, equidem non intellego. Neque vero caussae, propter quas infecta, ut videatur, re discesserit, desunt. Notum enim, Spartanos hostibus debellatis rem ita instituere solitos esse, ut sua sponte se subjicere viderentur pacisque conditiones ipsi exsequerentur[1]). Accedunt, quae Stetefeldtus ipse indicavit.

Jam vero si de scriptorum testimoniis disputatio oritur, Scheibius (olig. Umw. p. 161 sq.) scriptores recte demonstravit ea in re consentire, quod statim post muros dirutos XXX viri instituti sint. Xenophon II, 3, 11 enim dicit: *οἱ δὲ τριάκοντα ᾑρέθησαν μὲν ἐπεὶ τάχιστα τὰ μάκρα τείχη καὶ τὰ περὶ τὸν Πειραιᾶ καθῃρέθη.* Plut. Lysander c. 15. *ὁ δ'οὖν Λύσανδρος τὰ τείχη κατέσκαπτε καὶ τὰς τριήρεις κατέφλεγε πρὸς τὸν αὐλὸν, ἐστέφανωμένων καὶ παιζόντων ἅμα τῶν συμμάχων .... Εὐθὺς δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν πολιτείαν ἐκίνησε, τριάκοντα μὲν ἐν ἄστει .... καταστήσας ἄρχοντας*[2]). Quibus locis conferri potest Lysiae XIII, 34: *Ἐπειδὴ δὲ γὰρ ἐκεῖνοι συλληφθέντες ἐδέθησαν, τότε καὶ ὁ Λύσανδρος εἰς τοὺς λιμένας τοὺς ὑμετέρους εἰσέπλευσε καὶ αἱ νῆες αἱ ὑπέτεραι Λακεδαιμονίοις παρεδόθησαν καὶ τὰ τείχη κατεσκάφη καὶ οἱ τριάκοντα κατέστησαν καὶ τί οὖν τῶν δεινῶν τῇ πόλει ἐγένετο,* de quo loco postea videbimus[3]). Jam quum ab Athenarum deditione usque ad XXX virorum imperium solutum anni fere spatium intercesserit[4]), XXX viri autem per

---

corruptela laborare neque vero G. Hermanni conjecturam, qua *αἳ χρήσοιτε* pro *ἃ χρὴ δόντες* scribatur, receptam quidem a Sintenisio satis verisimilem esse etiam Grotius VIII, 311 adn. censet.)

1) Cf. Curtius II, 721 et 406, ubi de Plataeensium deditione ol. 88, 1 facta agitur.

2) Stetefeldtus putat, Plutarchum his verbis alium auctorem — Ephorum — sequutum eas res, quae in initio capitis Theopompum sequutus narraverit, iterum alia ratione proferre, quae narratio a verbis *ἔνιοι δὲ ... φασιν*, quae paullo antecedunt, incipiat. Sed quum Stetefeldtus (p. 32) ipse Plutarchum Theopompum Ephorumque, quos antea perlegisset, quantenus narrationem eorum memoria teneret, conjungere et consarcinare studuisse putat, fortasse etiam sola verba *ἔνιοι δὲ .... πόλιν* Ephoro attribui possunt, quibus dictis oratio ad verba *Ἑτέραν ... λελυκότων* adnectatur. Id quod voce *οὖν* significari existimaverim, sententia autem non male progreditur. Antea enim Lysandrum nuntios de pacis conditionibus non servatis misisse dictum est, hoc loco imperatorem, quem XXX virorum institutioni affuisse etiam Lysiae or. XII, §. 71 probatur, Athenis jam praesentem videmus.

3) Unus Diodorus XIV, 3, quod Scheibius non monuit, dissentire videtur, quo auctore muri statim post pacem factam diruti, XXX viri posteriore tempore discordia orta et Lysandro Samo revocato instituti sint. Cujus testimonium praeterea quum nonnulla hoc loco minus accurate eum prodere constet, non satis valet.

4) Petero, „commentatio critica de Xenophontis Hellenicis“ et Sie-

octo menses imperium obtinuerint, muros statim post Athenarum deditionem dirutos esse accipere non possumus.

Lysiae autem verba cum Xenophontis et Plutarchi narratione in universum concinere neque ad Lysandri secundum adventum relata quidquam in quo haereamus, si a verbis *αἱ νῆες .... παρεδόθησαν* inaccurate dictis discesseris, habere videmus. Sed ne tum quidem, si Stetefeldti de his rebus sententiam probaremus, scriptoris fidei aliqua inde suspitio oreretur. Quis enim aliam sententiam in his verbis invenire potest, quam „omnia quae ibi commemorantur, post duces illos captos acciderunt« ? Apparet, tales enumerationes et ad idem tempus et ad tempora diversissima referri posse; utrum igitur statuamus, ex rerum ratione dijudicandum est, ex verbis nihil sequitur [1]).

Ceterum Stetefeldtus (p. 18.) statuit, Lysiam solemniter pronuntiantem *τότε καὶ ὁ Λύσανδρος εἰς τοὺς λιμένας τοὺς ὑμετέρους εἰσέπλευσε* judices, ut de primo Lysandri adventu antea non commemorato cogitarent, perducere voluisse. Qua ratione si nostrum quem decipere voluisset, orator non prudenter neque vero inepte egisset, veterum autem, qui utrumque adventum quatuor annis ante vidissent, quem tandem sapientem fore ut falleret sperare potuit? Jam vero si nihilo secius diffideremus, quo modo Diodorus Siculus — quo teste hac quidem in re allato inconstantiae crimen subire non vereor — commotus est, ut (XIV. 3) priore Lysandri itinere non commemorato eisdem fere verbis scriberet: *παρακαλούντων δὲ .... αὐτὸς δὲ* — Lysander — *μετὰ νεῶν ἑκατὸν κατέπλευσεν εἰς τὸν Πειραιᾶ*? An hic quoque eos, qui legerent, ut de primo Lysandri adventu cogitarent, adducere voluit. Quo loco etiam Lysiam fallaci consilio in hac narratione usum non esse verisimillimum fit [2]).

---

versio „commentationes de Xen. Hell.“ auctoribus spatium etiam longius est.

1) Aliter, at exemplum simile, quod cum quaestione nostra cohaeret, proferam, de or. XIII, §. 46 censendum est, ubi res diverso tempore factas enumeratas esse et Scheibius (o. U. 56. adn. 3) recte demonstravit et quod ad Lacedaemoniorum praesidium pertinet, ex Xen. h. Gr. II, 3, 13—14 et Diodoro XIV, 4 concludi potest. cf. XXV, 27, ubi ne ordo chronologicus quidem servatur. Quibus ex locis Lysiae decipiendi studium nequaquam cognosci potest, amplificatio rhetorica sane inest.)

2) Lysiam etiam in orationis XII, 68 sqq. eam, qua pax accipitur, contionem silentio praeterire, etiamsi non nominatur, non cum Stetefeldto statuerem. Nam verbis §. 70 *ἔπεισε ὑμᾶς πρᾶξαι* ea, quae in illa contione facta sint, ita ut aequales de contione dubitare non potuerint, significantur, quibus commemoratis verba §. 71 *καὶ τὸ τελευταῖον, ὦ ἄ. δ. οὐ πρότερον εἴασε τὴν ἐκκλησίαν — περὶ τῆς πολιτείας* §. 72 *γενέσθαι* ad res posteriore tempore factas referri vocabulo *τελευταῖον* (cf. XIV, 38. XXV, 29) satis aperte indicatur. Quo loco oratione in Eratosthenem

Alia autem quaestio est, quo modo factum sit, ut secundum illud, dum prius neglegerent, Lysandri iter scriptores tam accurate describerent. Quidni primus ille, „quo primum post hominum memoriam hostilem classem excepit Piraeus“ ita ut exspectamus, in Lysiae memoria penitus insedit. Id quod non tam mirum est, quam cui primo obtutu videatur. Nam quum primum Athenas veniret Lysander, nihil novi, quod Athenienses offendit, attulit; pax jam a civibus accepta ab utraque parte rata facta est, condiciones Atheniensibus ipsis exsequendae permissae sunt. Mitior enim — Spartanorum et Phocaeensium contra Thebanorum et Corinthiorum — sententia vicerat [1]. Quum vero Lysander ab optimatibus revocatus et exacerbatus — ac praeterea, id quod facile concedam, ipse iratus, quod suis optimatiumque consiliis plerique quoquo modo resisterent — Athenas rediret, ea, quae populari caussae addictum quemque maxime laederent omniumque mentibus infixa haererent, facta sunt: moenia diruta, naves combustae, XXX viri instituti sunt. Spartanorum autem socios, Corinthios et Thebanos, qui antea Athenas diruendas esse censuerant, gaudio quum illa fierent elatos esse (cf. Plut. Lys. c. 25.) quis miretur?

Maximam autem difficultatem inesse in explicanda Lysiae narratione XIII, 13—34, ubi de insidiis in homines populares ac de contionibus tempore post legatorum Spartam missorum reditum habitis agitur, non negaverim. (cf. Stetef. p. 16 sq.) Id quod jam inde apparet, quod viri docti diversissimas interpretandi vias inierint neque quisquam omnes feliciter explicaverit nodos. Neque mirum, si illa, quae supra in adn. de

---

habita multo melius quam oratione in Agoratum uti posse historicum adjiciam. Ut enim verbis, de quibus egimus, res gestae melius quam XIII, 15 sqq. perspici possunt, ita omnino narratio orationis XII multo magis definita et luculenta quam or. XIII. Cf. ex. c. XII, 67 sq. cum XIII, 9. Cujus rei caussae plures exstant. Or. XII statim fere post imperium populare restitutum, or. XIII quattuor, ut plerique judicant, annis post habita est. Praeterea autem prorsus aliam indolem praebet Eratosthenica (cf. Blass, a. B. p. 548. 562 sq.) quam oratio XIII. Totam enim rerum illo tempore factarum seriem orator ipse in Eratosthene accusando non sine aliqua moderatione percenset, nonnulla tantum ex hac serie excisa quasi ad Agorati culpam definiendam homini privato ac rerum publicarum minus perito ex ipsius judicio proferenda tradit. Qua re ut in Lysia et rhetoris ingenium et viri rei publicae amantis animum magni aestimemus adducimur.

1) cf. Xen. hist, Gr. II, 1, 19 sq. Plut. Lys. c. 15. Grote VIII, 310, qui de caussis, quibus Lacedaemonii ducti sint, rectissime judicat. Fortasse autem Lysander ipse etiam eam ob caussam in Athenienses acrius vindicare noluit, quod, qui Heraclidarum imperium evertere in animo haberet, (Plut. Lys. c. 24) Athenas, unde ulteriora aggrederetur, sui ipsius imperio subjicere vellet. cf. Curtius III, 36 sqq. Xen. II, 4, 29: *Παυσανίας ὁ βασιλεὺς φθονήσας Λυσάνδρῳ, εἰ … ἰδίας ποιήσοιτο τὰς Ἀθήνας.*

indole orationis diximus, in memoriam revocaverimus. Lysias autem refert, viros populares — duces et centuriones — Theramenem Sparta reducem adiisse pacisque conditiones explorasse; quas quum comperissent, se talia ut exsequerentur non concessuros esse confirmaverunt. Id quod nisi e medio sublati essent re vera effecissent. Theramenes autem ejusque socii animo illorum cognito *priusquam contio de pace haberetur* insidiis eos implicaverunt. Hactenus Lysiae narratio. Cui praecipue obstat, quod Xenophon contionem, qua pax accepta sit, die post Theramenis reditum habitam esse fame in diem crescente, in qua caussa insit, qua propter cunctatio omnino fieri non potuerit, commemorata certissime tradit. Ac re vera Blassius (Gesch. p. 556 adn.) ex Lysiae sententia omnia, quae XIII, 13—34 narrantur, uno die inter Theramenis reditum et contionem a Xenophonte commemoratam facta esse, id quod per se spectatum bene fieri potuerit, contendit. Attamen quamvis multae res gestae angusto temporis post bellum Peloponnesiacum finitum usque ad imperium populare restitutum spatio conclusae sint, illa omnia a Lysia tradita — viri illi Theramenem ut pacis conditiones cognoscant adeunt, se eis restituros esse profitentur, Theramenes ejusque socii consilium, quo illi necandi sint, ineunt, Agorato persuadent, ut delator exsistat, Theocritum ut Agorati delationem paret, in senatum mittunt, senatus nonnullis suorum, ut Agoratum in Piraeo corripiant, mandat, legati veniunt in Piraeum, Nicias ceterique pro Agorato spondent, legati in urbem redeunt, eum senatus decreto, quod post ipsorum reditum factum est, reveniunt, Agoratus sponte sua eis se tradit, in senatum ductus nomina defert, homines illi corripiuntur — haec omnia quo modo intra unius diei fines fieri potuerunt vel etiam quo modo Lysias se judicibus talia persuasurum esse potuit sperare? Neque vero rem ita explicari posse, ut jam ante Theramenis reditum optimates consilium illud iniisse statuatur, Rauchensteinius (Schw. Mus. vol. VI, 273) explicando conjurationem hominum popularium Theramene demum reverso, quum durae pacis conditiones displicerent, fieri potuisse simul mihi videtur probavisse. Jam vero quum Lysias narret, contionem, in qua duces et centuriones delati sint, Munychiae in theatro habitam esse, Blassium sequutis statuendum nobis esset, hoc loco etiam pacem acceptam esse. Id quod minime verisimile esse Scheibius [1]) ostendit. Cum Blassio autem ea in re consentit

1) Olig. U. p. 164. Minoris fortasse momenti est, quod Rauchensteinius l. c. attulit: denn in der That, in der gleichen Versammlung den Gegnern den Process machen und sofort darauf zur Annahme des Friedens schreiten, das wäre ein zu greller Kunstgriff gewesen. Utique autem adstipulari non possum Rauchensteinio p. 272 dicenti, populum

Rauchensteinius, quod et ipse praetores ante pacem factam captos esse putat, recedit ab eo tempore, quo pax sit facta, constituendo. Theramenem enim die post reditum ad populum de legatione retulisse statuit, sed acceptam non esse pacem hac contione. Jam praetores paci resistentes insidiis implicatos esse. Quo facto altera contione convocata pacem acceptam. Sed a Xenophontis testimonio certissimo, ex quo propter famem in diem crescentem nulla omnino fieri potuerit cunctatio, me recedere non posse fateor; neque vero intellego, quid paucorum dierum cunctatio profuerit. Facile enim apparet, propter inopiam fieri non potuisse, ut pacis condicionibus auditis alteram legationem Lacedaemonem mitteretur; neque eam, si mitti potuisset, priori meliorem eventum habituram fuisse cogitari potest. Blassius igitur (p. 563) imperatorum et centurionum conjurationem jam ab initio omni eventus prosperi spe caruisse censet. Qua in re recte judicat, si homines illos solum pacis condicionibus accipiendis resistere in animo habuisse ac jam ante pacem acceptam captos esse concedamus. Prorsus aliter autem res se habet, si duces postea demum insidiis implicatos esse statuamus. Tum quidem eos, quum Theramenis Sparta reducis proditionem intellegerent, ira, qua in hominem nefarium jure suo utebantur, commotos paci turpi, quae jam respuenda non erat, sese opposuisse, sed pace accepta assequutos esse intellegimus, ut pacis conditiones non perficerentur. Itaque verba §§. 15 et 16 quidem *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι ταῦτα γενέσθαι .... οὐδ' .... οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην ποιήσασθαι* praecipue ad sermones Theramene reverso habitas, in quibus Lacedaemonios ipsos antea meliorem proposuisse pacem recordarentur, referenda videntur neque vero non verisimile est, ea jam rationem aliquam habere, qua, id quod postea demum patefactum est, fieri potuisse indicetur, ut pacis conditiones non efficerentur ac denuo de pace meliore cum Lacedaemoniis ageretur. Verbis §. 17 autem *ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα, εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουῒ ἀπώλοντο* ea, quae post pacem acceptam illi moliti sint — ac perfecissent — indicantur. Quae si recte disputata sunt, verba §. 17 *εἵλοντο* (optimates), *πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς .... καταστῆσαι* corruptelam continere

---

ut de viris illis decerneret Munychiam convocatum esse; loci enim Lysiaci (XIII, §§. 32, 55) demonstrant, deliberationem de ducibus illis primariam, propter quam contio illa facta sit, caussam non effecisse. cf. Frohberger, adn. ad XIII, 32. Quam ob rem ne ea quidem, quae Scheibius (l. c.) hac de re dicit — in duobus locis Lysiacis, ubi de contione illa sermo sit, nihil commemorari nisi praetores in ea captos esse — quia falso intelligi possint, prorsus probem.

jam hoc loco apparet. Quam quum verbis τὴν περὶ τῆς εἰρήνης cum Frohbergero glossemate seclusis tollimus, ne justo audaciores simus indole textus Lysiaci respecta non veremur[1]).

Sed priusquam ad aliam rem progrediamur, id quod supra simpliciter posuimus, accuratius consideremus, num homines illi populares pace jam accepta nihilo minus sperare potuerint, melius quiddam urbi patriae se assequuturos esse. Atheniensibus ut supra dictum permissum erat, ut pacis conditiones exsequerentur. Jam optimates, quibus multo majori curae quam Lysandro ipsi fuisse ut pacis conditiones acerbissimae perficerentur et imperium populare everteretur, Grotius (p. 314 sq. et 317) recte intellexit, primum quidem homines illos populares e medio sustulerunt ac tum quidem Lysandrum, ut consilia sua adjuvaret, a Samo arcessiverunt. Quibus suadentibus et in omnibus rebus morem gerentibus eum audaciorem et ad perficienda quaeque propensiorem factum esse quis neget? Praeterea autem meminerimus, discidia illa, quae postea inter Lacedaemoniorum reges et Lysandrum et de rebus internis et de Atheniensibus exstiterunt (cf. Xen. h. Gr. II, 4, 29) jam tum initium cepisse videri (cf. Plut. Lys. c. XIV). Si igitur accipiamus, duces illos captos non esse, immo auctoritate, qua fruebantur, usos optimatum consilia per aliquod tempus coërcuisse ac postea fortasse cum Spartanorum regibus egisse nonne multa prorsus aliter evadere potuisse apparet? nonne ea ratione, qua omnibus fere temporibus interdum acciderit, ut ea, quae inter partes convenerant, non omnia accurate conficerentur, etiam hac in re facile fieri potuit? Attamen talibus conjecturis nihil certi efficitur, sufficit demonstrasse, Lysiae verba a rerum temporumque rationibus non abhorrere.

Venimus ad quaestionem de ephoris Atheniensibus, quorum Lysias ex antiquis scriptoribus solus mentionem fecit. Qua re, praecipue si reliquas res, de quibus egimus, — ducum insidias alia — addiderimus, sane adducimur, ut et Lysiam rerum gestarum testem haud parvi aestimemus et

1) Westermannus, quaestiones Lysiacae I, 5 pro verbis περὶ τῆς εἰρήνης scribendum esse censet περὶ τῆς πολιτείας et Scheibius (o. U. p. 164 sq.) contionem περὶ τῆς εἰρήνης hoc loco memoratam eandem esse statuit, quae alias (XII, 72) ἐκκλησία περὶ τῆς πολιτείας nominatur. Id quod demonstrari posse putat comparato l. c., qui, quum contio de rei publicae forma mutanda commemoretur, eadem fere verba ac noster locus praebeat. Atque hoc loco sententia, qua contio in qua XXX viri instituti sunt intellegenda sit, sane firmatur, sed ipse simul cum §. 71 indicio fortasse est, hanc contionem aut simpliciter ἐκκλησία aut ἐκκλησία περὶ τῆς πολιτείας apte nominari. Jam quum non intellegatur, quo modo verba περὶ τῆς πολιτείας in περὶ τῆς εἰρήνης depravata sint, Frohbergero verba, quae librarius, qui antea multa de pace legisset, ut oratio perfecta atque absoluta sit, adjecerit, delenti adstipulor.

Xenophontis exiguitatem et sterilitatem cognoscamus. Quid enim ejus, qui quae urbis Athenarum hoc tempore conditio fuerit perspicere velit, animum magis commovere potest quam res illae? Lysias igitur XII, 43 narrat, quinque ephoros Athenienses institutos esse ἐπειδὴ δὲ ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἐγένετο δημοκρατίας ἔτι οὔσης, ὅθεν τῆς στάσεως ἦρξαν. Quo in loco Herwerdenus verba ἡ ναυμαχία καὶ quum interpretamentum deleat audacius ut postea videbimus agit. Quae verba nos ducunt ad quaestionem primariam, ephori Athenienses utrum ante an post urbem deditam instituti sint. Ac prius quidem contendit Rauchensteinius [1]) alterum Frohbergerus [2]). Qua in re Frohbergerum verum assequutum esse Stetefeldto (p. 21 sq.) tam manifestum videtur esse, ut de ea re prorsus nequeat dubitari, neque Rauchensteinium, qui sententia Frohbergeriana cognita scripsit, quidquam, quod ad alteram opinionem adducere possit, attulisse putat [3]). Sed Stetefeldti „diligentiam latuisse videtur", Frohbergerum ipsum sententia sua relicta Rauchensteinio adsentitum esse (cf. ed. proll. p. 3, praef. or. XII, p. 14 sq., adn. ad XII, 43). Quae quum ita sint, tota quaestione iterum disceptanda supersedere possim; paucis tantum Rauchensteinii argumenta firmare liceat. Verba ἡ ναυμαχία καὶ ἡ συμφορὰ aut, quum συμφορὰ saepius de pugna apud Aegos flumen commissa usurpetur, figura quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν posita sunt aut verbo συμφορὰ tempus, quod illam pugnam exceperit, expressum est. Quarum significationum neutra propter sententiam ferri non posse mihi videtur [4]). Ac priorem hic locum habere quis negare possit, altera autem nihil, quod offendat, habet. Verbum enim et totum a pugna apud Aegos flumen usque ad populare imperium restitutum tempus et quodlibet hujus temporis spatium continere posse apparet. cf. XXXI,8 ὅτε ἡ συμφορὰ τῇ πόλει ἦν, ἐκκεκηρυγμένος ἐκ τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν τριάκοντα, ubi totum calamitatis tempus amplectitur. Quae notio quum hoc loco inesse non queat, ad obsidionis et famis mala op-

1) Philol. vol. XV, p. 703 sqq.

2) Philol. vol. XIV, p. 320 sqq., ubi plerique, qui de hac re scripserunt, vv. dd. commemorati sunt.

3) Stetefeldtus quum p. 21 dicat, secundum Rauchensteinii sententiam ephororum collegium statim post cladem institutum esse, viri docti verba non accurate reddit. Rauchensteinius p. 707 adn. 4 dicit: wenn man aber annimmt, die Einsetzung sei unmittelbar nach jener Schlacht erfolgt, so geht man darin zu weit, wie Frohberger beweist.

4) Cf. Frohberger adn. ad XII,43. Num in locis, ubi verbum συμφορὰ posteriores significationem habere Frohb. statuit, etiam VI, 46 habendum sit, dubito. Verba, quae §. 47 sequuntur καίτοι ἕτεροι φεύγοντες ἐν Ἑλλησπόντῳ συνετριηράρχουν ὑμῖν contrariae sententiae fortasse favent.

time refertur. Si igitur quis efficere velit, ephoros post pacem esse institutos, neque hac voce neque eis, quae sequuntur δημοκρατίας ἔτι οὔσης uti debet. Quae verba, ut Frohbergerus (adn. ad l.; aliter statuerat Philol. XIV, 321) recte intellexit, non temporis rationem definiunt, sed concessionem continent, qua quam improbe optimates egerint manifestum fiat.

Jam vero si id quod inter plerosque vv. dd.[1]) convenit accipiamus, ephoros Athenienses non publico munere functos, sed ab optimatibus institutos esse eisque praefuisse, multo mihi verisimilius videtur, ante urbem captam eos esse institutos. Argumenta enim, quibus usus Frohbergerus posteriore tempore eos muneri praefectos esse statuit, tum demum, quum publico munere eos functos esse putamus, valent. Qui dicit, tempore ante captam urbem tantam, quantam Lysias (§. 44) eis tribuit, potentiam eos obtinere non potuisse. Sed si ad optimates solos ephorum jussa pertinent, ea, quae Lysias eos fecisse narrat, nihil miri continent, nam optimates, qui sua sponte eos sibi constituerant, omnibus in rebus eis obedientes fuisse quis est quin concedat? Praecipue autem verbis καὶ εἴ τι ἄλλο πράττειν βούλοιντο sententiam suam fulciri existimat, in quibus dictatura quadam ephoros functos esse insit. Sed quid, si verba εἴ τι ἄλλο πράττειν βούλοιντο non ad ephoros, sed ad totam optimatum partem redire statuamus: auctores fuerunt consiliorum et definiendorum et perficiendorum, de quibus optimates cogitabant? De optimatium insidiis in loco Lysiaco omnis sermo est, simile quiddam autem in eis, quae antecedunt, verbis ὅθεν τῆς στάσεως ἦρξαν, πέντε ἄνδρες ἔφοροι κατέστησαν invenitur, ex quibus ὅθεν τῆς στάσεως ἦρξαν ad optimates in universum,

1) Cf. praeter Rauch. et Frohb. ll. cc. Plass, die Txrannis bei den alten Griechen, II, 66. Curtius, gr. Gesch. II, 719. Qui quum p. 762 dicat: als eine wirkliche wenn auch verfassungswidrige Behörde erscheinen §. 76 οἱ καθεστηκότες ἔφοροι fortasse plus quam necesse est concedit; recte Frohbergerus in adn. verbo καθεστηκότες uncis adjecit ὑπὸ τῶν ἑταιρῶν. Prodeunt autem hac occasione — agitur de XXX viris instituendis — in scenam pro optimatium parte, qui quum eversionis rei publicae auctores essent, postulare poterant, ut pars ab ipsis vel ipsorum parte crearetur. Quo tempore populus jam resistere non potuit, optimates quaecunque placebant perfecerunt. Atque in contione, in qua XXX viri instituebantur, nihil legibus, omnia vi perfecta esse, ex Lysiae narratione XII, 75—77 satis cognoscitur. — Cum eis, quos commemoravi, non concinit Scheibius (ol. U. p. 35, adn. 11). Qui quum adversariorum argumenta refutare studeat, Eratosthenis negatione, se fuisse in quinque ephoris, etiamsi publico munere functi sint, nihil nisi ejus audaciam et temeritatem probari putat. Cujus viri ferocitatem jam inde apparere, quod oblivionis lege non tectus in urbe remanserit. Sed hac re non tam Eratosthenis audacia, quam civium de eo aeque ac de Pheidone opinio melior, qua securitatem sperare poterant, — num promissa sit (Curtius III, 44.) non dijudicem — demonstrari mihi videtur.

quum enuntiati πέντε ... κατέστησαν subjectum sit ἔφοροι, referenda sunt, atque etiam §. 45 oratio verbis τοῦτο γὰρ ἠπίσταντο ad totam partem revocatur. Quae explicatio si cui minus placeat, ephoros posteriore tempore, quum optimates jam plurimum valerent, maximam potentiam obtinuisse facile cum Rauchensteinio sibi persuadeat.

Relinquitur igitur unum illud, quod Frohbergerus primum affert, Critiam, qui exsul fuerit, in quinque ephoris commemorari neque eum, quum exsules pacis conditionibus acceptis demum redierint, Athenis tum jam fuisse [1]). Quo uno argumentu sententiam ut mutemus non adducimur, neque ratio, qua difficultas expediatur, deest. Aut enim jam paullo ante captam urbem Critias in patriam redire ausus est [2]) aut quod viris doctis arrisit, posteriore tempore reversus in alius ephori, qui magistratui renuntiaverat (cf. Rauchenst. Philol. XV, 708 adn.) vel mortuus erat, locum suffectus est.

Jam non dubitandum videtur, quin verba XII, 44, quae jam supra propter aliam caussam tetigimus: οὕτως οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε, ὅπως μήτ' ἀγαθὸν μηδὲν ψηφίσαισθε, πολλῶν δὲ ἐνδεεῖς ἔσεσθε et §. 45 καὶ ὑμᾶς ἡγοῦντο τῶν παρόντων κακῶν ἐπιθυμοῦντας ἀπαλλαγῆναι περὶ τῶν μελλόντων οὐκ ἐνθυμήσεσθαι, ita ut primo obtutu accipimus, intellegamus de tempore ante urbem captam et de obsidionis malis neque ambiguitatis vestigia prodere credamus. (cf. Stetef. p. 19, ubi errore legitur §. 46 pro §. 45). Quae explicatio verborum maxime firmatur verbis Lysiacis, quae inter ambos locos leguntur: τοῦτο γὰρ ἠπίσταντο, ὅτι ἄλλως μὲν οὐχ οἷοί τε ἔσονται περιγενέσθαι, κακῶς δὲ πραττόντων δυνήσονται comparatis cum illis Xenophonteis (h. Gr. II, 2, 16) πεμφθεὶς δὲ —

---

1) Frohbergerus in Phil. XIV, 321 quum Grotium übers. von Meissner IV, p. 489 citet (idem fere in editione adn. ad §. 43) dicit: Kritias war, nachdem er den ersten Act seines Lebens zur Zeit der 400 gespielt, kurz nach dem Sturze derselben verbannt worden.' Sed Grotius VIII, 316 — Meissneri interpretatio ad manus non est — recte haece de Critia exhibet: we now neither the cause, nor even the date of his exile, except so far, as that he was not in banishment immediately after the revolution of the four Hundred and that the was in banishment at the time when the generals were condemned after the battle of Arginusae. cf. Lycurg c. Leocr. §. 113. Xen. h. Gr. II, 3, 35.

2) A cogitatione non abhorret, Critiam tempore, quo urbs fame jam oppressa erat, reversum latuisse, quum ephori omnino primum quidem in occulto egisse consentaneum sit, vel etiam postquam homines populares Cleophonte in insidias vocato timidi facti sunt, in publicum prodire ausum esse populo fortasse de consiliis suis decepto. cf. Xen. h. Gr. II, 3, 36. Aliquid fortasse impedimenti praebet Lys. XII, 77.

Theramenes — διέτριβε παρὰ Λυσάνδρῳ τρεῖς μῆνας καὶ πλεῖον ἐπιτηρῶν ὁπότε Ἀθηναῖοι ἔμελλον διὰ τὸ ἐπιλελοιπέναι τὸν σῖτον ἅπαντα ὅτι τις λέγοι ὁμολογήσειν.

Quo tempore Cleophon mortuus sit, quum Stetefeldti disputationem sequuti simus, unum quod contemplemur restat. Quem ille, ut quando optimatium insidiae omnino inceperint sibi ipsi constet, post captam urbem demum necatum esse statuit, quamquam a Xenophonte (I, 7, 35) recedit neque Grotium (p. 309 adn.) auctorem habet. Atque hac re ducti jam suspicamur, rem etiam multo plures scrupulos et dubitationes quam cetera a Stetefeldto proposita injicere. Quae opinio nos non fallit. Res enim haec est. Lysias in oratione XIII a §. 5 de insidiis narrat, quae paullo post pugnam apud Aegos flumen commissam ab optimatibus ad rem publicam evertendam paratae sint. Qui primum quidem Cleophontem paci resistentem aggressi sunt. Jam initio §. 11 sequitur: Ἐκεῖνος — Theramenes — μὲν οὖν ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔμεινεν ἐκεῖ πόλυν χρόνον sqq. ac statim post initio §. 12 οἱ δὲ ἐνθάδε ὑπομένοντες καὶ ἐπιβουλεύοντες καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν εἰς ἀγῶνα Κλεοφῶντα καθιστᾶσι sqq. Insuper sub finem §. 12 et totius de Cleophonte narrationis leguntur haece: ἀπέκτειναν — Cleophontem — ἐν τῇ προφάσει ταύτῃ. Θηραμένης δὲ ὕστερον ἀφικνεῖται ἐκ Λακεδαίμονος. Quae verba quo modo orator sana mente Theramenis et Cleophontis qui Athenis viri fere praestantissimi fuerant aequalibus quattuor annis post, si veritati ita repugnarent, facere potuerit, ego quidem non intellego; utique autem Stetefeldtus Lysiam tam audacem, ut aperte mentiatur, esse statuens egreditur sententiam suam, qua (p. 14 sq.) studio fallaciae ductum oratorem res ita, ut quae ante quae post urbem captam facta sint, nusquam certum sit et indubium, putat disponere. Testimonium autem, in quo Stetefeldti sententia nititur, ejusdem Lysiae est, qui in or. XXX, §. 10 ἐπειδὴ γὰρ ἀπολομένων τῶν νεῶν ἡ μετάστασις ἐπράττετο, Κλεοφῶν τὴν βουλὴν ἐλοιδόρει, §. 14 ἐν τοιούτῳ καιρῷ νόμον ἀπέδειξεν — Cleophon — ἐν ᾧ ἡ πολιτεία μεθίστατο, §. 12 Σάτυρος καὶ Χρέμων οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι Κλεοφῶντος κατηγόρουν dicit. Quos locos si contemplamur, primus quidem, in quo nihil omnino argumenti insit, secernendus sit. Verbum πράττειν enim opposito ποιεῖν studia ejus, qui certum quiddam sibi proposuit, indicat. Quod propositum ut attingat, omnino necesse non est. Optime vertitur „agere ut" ac omissis ceteris significationibus, ex quibus solum tangam loquendi formam πράττειν εἰρήνην quae idem fere quod πράττειν περὶ εἰρήνης „de pace agere" exprimit, praecipue de factionis alicujus studiis perfidis ut Thuc. IV, 121 καί τι αὐτῷ καὶ ἐπράττετο ἐς τὰς πόλεις

ταύτας προδοσίας πέρι — cf. IV, 89 *οἱ πράττοντες τὸ ἁμάρτημα* — usurpatur. Itaque *ἐπειδὴ ἡ μετάστασις ἐπράττετο* vertendum est: quum id — ab optimatibus — ageretur, ut res publica everteretur. Neque vero altero imperfecto *μεθίστατο* §. 14, etiamsi res aliter se habet, aliquid probatur. Nota est enim ille — praesentis — et imperfecti, qui plerumque de conatu nominatur, usus (cf. Krueger, Gr. I, 53, 2, 2), ex quo notio, quam verbum habere debet, in universum satis explicatur. Quodsi autem de verbi *μεθίστατο* usu singulari quaeritur, conferamus Xenophontem (h. Gr. II, 3, 24), qui Critiam in Theramenis accusatione dicentem facit: *Ὦ ἄνδρες βουλευταί, εἰ μέν τις ὑμῶν νομίζει πλέονας τοῦ καιροῦ ἀποθνήσκειν, ἐννοησάτω ὅτι ὅπου πολιτεῖαι μεθίστανται πανταχοῦ ταῦτα γίγνεται· πλείστους δ᾽ ἀνάγκη ἐνθάδε πολεμίους εἶναι τοῖς εἰς ὀλιγαρχίαν μεθιστᾶσι* sqq. Nonne perspicuum est, eadem ratione, ut in hoc loco mutandi significatio non ad unum illud momentum, quo Lysandro praesente XXX viri instituebantur, sed ad totum tempus, quod sequebatur, quippe in quo XXX viri dominatum suum firmare studerunt, spectat, in loco de quo agitur voce *μεθίστατο* tempus, quo jam civium pars mutationem illam institutura erat, denotari? Quae quum ita sint, loci eis, quae in or. XIII leguntur, non repugnare, immo ea fulcire videntur. Oratorem enim sententia, ex qua insidiae illae jam ante urbem captam inceperint, non solum in orationibus, ubi caussa postulabat, usum esse, sed ea id quod senserit — quodque cum veritate concinat — protulisse probant. Quae enim hic fallendi caussa existere potuit? Locum autem tertium, quem Stetefeldtus attulit, intellegendum esse „Satyros et Chremon, qui postea in XXX viris fuerunt" Sauppius apud Rauchensteinium (adn. ad locum p. 146 ed. IV.) loco Platonico collato demonstravit. Haec autem, quae de Cleophontis morte ex Lysia discimus, confirmari puto Xenophontis testimonio (h. Gr. I, 7, 35), qui quum de Callixeno ejusque sociis in vincula conjectis narret dicit: *ὕστερον δὲ στάσεώς τινος γενομένης, ἐν ᾗ Κλεοφῶν ἀπέθανεν, ἀπέδρασαν οὗτοι, πρὶν κριθῆναι* [1]). Quo loco Xenophonteo quin eadem fere — optimatum

1) Quem nuntium cum veritate non concinere, quamquam Cleophontem ante Athenas captas occisum esse censet, Grotius p. 309 adn. 2 statuit: It is scarcely possible, that Kallixenus could have been still under recognizance, during his period of suffering between the battle of Aegospotami and the capture of Athens. He must have escaped before the battle. Neither long detention of an accused party in prison before trial nor long postponement of trial, when he was under recognizance — were at all in Athenian habits. Sed etiam Athenis non raro factum esse, ut actiones per longum tempus producerentur, Schoemannus (Meier u. Schoemann, der attische Process. Halle 1825. p. 694

— seditio intellegenda sit, quam etiam Lysias XII, 43 verbis ὅθεν τῆς στάσεως ἦρξαν commemorat, non dubito (cf. etiam Curtius II, 761.).

CAPUT ALTERUM.

Jam de nonnullis Lysiae locis critice tractandis et explicandis agam ac primum quidem de

XII, 50—52.

Lysias postquam de fratris caede, quo modo facta sit, exposuit, Eratosthenem ei sua sponte mortis auctorem factum esse probare conatus est eaque, quae accusatus proferre posset, refutavit, totius Eratosthenis vitae, quo demonstraret, eum semper hominum popularium hostem fuisse, imaginem adumbrare studet; cujus partis in initio de totius factionis culpa, in fine de Theramene, cujus factioni Eratosthenem addictum fuisse constat, disserit. In Eratosthenis igitur vita adumbranda quum ad tempus pervenerit, quo XXX vir factus est, qualem in universum Eratosthenes se praebuerit ostendit, sed ita ut ea, quae in Polemarchum Lysiamque fecisse arguitur, recta se habere simul cognoscamus vel facile concludere possimus. Hactenus de sententia totius orationis partis in universum; in nostro loco orator haece exponit: si Eratosthenes virum probum se praebere voluisset, neque XXX vir fieri et quum factus esset Batrachi et Aeschylidis denuntiationes falsas esse senatui indicare debebat. Atqui dicere non potest, se tacentem nihil mali fecisse. Nam plurimi populo infestissimi tum quidem silentium tenuere. Neque caussam tacendi afferre potest, quod ceteros XXX viros timuerit, nam aliis in occasionibus, ubi de factionis sociis sermo erat, silentium non egit. Neque vero deinde, quum tempus aptissimum ei videri deberet, eam, quam simulat, erga populum benevolentiam ostendit, sed crudelissime plurimos homines populares interfecit. Quae omnia quamvis bene procedant, in singulis plura quae in codice nostro Palatino traduntur, in dubitationem non sine caussa vocata medelam partim invenerunt partim etiamnunc quaerunt.

Statim in initio §. 50 difficultas continetur verbis: Ὅπως τοίνυν μὴ φανήσεται ἐν τῷ λόγῳ τοῖς τριάκοντα ἐναντιούμενος sqq. Ad quem locum Rauchensteinius (ed. IV.) dicit: ἐν τῷ λόγῳ, in der Rede, die Eratosthenes damals gehalten haben

---

cum adn. 3) demonstravit atque Herbstius (l. c. p. 62) quae caussa dilationis fuerit non sine sagacitate suspicatus est.

will. Doch empfiehlt sich Kaysers ἐν τοῖς λόγοις in den Verhandlungen, vgl. §. 25. Hanc Rauchensteinii explicationem non recte se habere optime exposuit Lipsius [1]) ac scribere proposuit ἐν τῳ λόγῳ. Tum quidem Rauchenst. (Jahns Jahrbb. vol. 91, p. 607) verba ἐν τῷ λόγῳ non solum ad orationem de metoecis habitam referri posse concessit, sed Lipsii ἐν τῳ λόγω non satis valide dictum esse atque nisi verba ipsa ἐν τῳ λόγῳ significare possent „bei dem debattiren" Kayserum optime conjecisse putat. Ac Scheibius quoque (Zarnke, lit. Centralblatt 1865 No. 19.) Lipsii conjecturam ferri non posse statuit neque locum emendationis indigere, si quidem alia ratione ac Rauchensteinius — scilicet in ed. IV — fecit explicamus. Frohbergerus unus adstipulatur Lipsio. Jam vero de Rauchensteinii, quam in editione protulit, sententia, quum ipse eam non sufficere ratus sit, breves esse possumus. Lysias his verbis Eratosthenem in XXX virorum senatu aliquando contra dixisse indicat. Ex Lysiae igitur neque ex Eratosthenis sententia dicta sunt. Jam quum metoecis Eratosthenem sua sponte mortis auctorem factum esse orator §. 25 sqq. demonstraverit, ad hanc deliberationem verba referri non possunt. Praeterea autem hac tota orationis parte non de caussa ipsa, sed de accusati ejusque factionis rebus in universum agitur, ut haec caussae commemoratio satis obscura sit. Propter prius autem argumentum ea, qua Rauchensteinius sententiam suam correxit, ratio non sufficere videtur. Nam verba ἐν τῷ λόγῳ omnino non ad Eratosthenis caussam pertinere possunt neque vero, ut verba χρῆν δ' αὐτὸν... ἔχειν docent, ad similes civium innocentium, ad quas verba modo allata atque quae antecedunt ὅτι ἐκεῖνά τε αὐτά οἱ ἤρεσκε referuntur, caussas. Jam vero quaeritur, num verba ἐν τῷ λόγῳ omnino retineri possint. Ac restat, quantum equidem video, una interpretandi via, quam Rauchenst. verbis „beim debattiren" indicat ac Scheibius iniisse videtur, qua λόγῳ ad XXX virorum deliberationes in universum refertur. Rauchensteinius autem ipse, quum dicat „falls ἐν τῷ λόγῳ nicht überhaupt bedeuten könnte „beim debattiren" dubitat, num haec notio inesse possit, neque locum, in quo verbum similiter usurpatum sit, invenire potui. Quae significatio si in verbo per se spectato inesse possit, num in locum quadret, quaeritur. Quod nego. Eis enim quae sequuntur χρῆν δὲ ... ἐξήμαρτεν, quibus orator Eratosthenem re vera semel ac in Theramenis quidem caussa XXX virorum consiliis se opposuisse indicet,

1) Specimen quaestionum Lyss. A. Nobbio nomine scholae Nicolaitanae ad solemnia semisaecularia celebranda dedicatum. Lips. 1865. p. 17 sq.

respectis, enuntiato ut haec insit sententia postulamus: jam vero ne appareat, eum in alia — scilicet Theramenis — re unquam XXX viris restitisse. Quam quis putat inesse posse, sive vulgatam lectionem retinemus sive Kayseri conjecturam (Heidelberger Jahrbb. 1853, p. 228) probamus? Utraque ratione nimis indefinita sunt verba, quam ut ad ea, quae sequuntur ἀλλὰ μὴ ὑπὲρ Θηραμένους certam habere possint relationem. Quam inesse etiam propter haec ipsa verba ἀλλὰ sqq. necessarium videtur, alioquin prorsus nude posita (cf. etiam Frohb. adn. ad locum). Quod si statuimus, nobis nova ac sagacissima, quam nuper Fritschius [1]) proposuit conjectura qua scribatur ἑνί τῳ λόγῳ — i. e. vel uno verbo — probari non potest; nam ita deliberationes de innocentium salute et de Theramene non satis accurate opponuntur. Lipsius igitur viam invenit, qua loco non commutato sententiam illam, quam necessariam esse statuimus, oratori redderet, quum verbum τῳ = τίνι esse putaret. Quae Scheibius et Rauchensteinius ad hanc conjecturam refellendam attulerunt, satisne valeant, dubitaverim. Si autem cui ob alterutram caussam (cf. supra) rejicienda videatur, alia in promptu est medela. Sententiam enim fortiorem habemus scribentes: ὅπως τοίνυν μὴ φανήσεται ἐν τῷ λόγῳ ποτὲ τοῖς τριάκοντα ἐναντιούμενος. Ad quam conjecturam commendandam moneam, litteras majusculas nostri loci has fere ΛΟΓΟΓΟΤΕΤΟ scriptas fuisse, ut ποτέ facillime a librario omitti potuerit.

In eis, quae statim sequuntur, codex habet: δῆλος ἔσται ὅτι ἐκεῖνά τε αὐτὰ ᾧ ἤρεσκε. Quae verba, quum ᾧ quid significaret intellegi non posset, viri docti sanare studuerunt scribentes: ἐκεῖνά τε αὐτῷ — Contius, Canterus, Palmerius — vel ἐκεῖνά τε αὐτὰ τούτῳ — Scheibius — vel ἐκεῖνά τε αὐτά οἱ ἤρεσκε — Westermannus, quaestiones Lyss. III. Lips. 1854. p. 18. Ex quibus Scheibii conjectura fortasse jam eam ob caussam addubitanda est, quod verbum τούτῳ non optime ad ea, quae antecedunt, δῆλος ἔσται adjungatur. Quamquam enim non ignoro, Lysiam hic illic de accusato uti pronomine οὗτος, ubi αὐτὸς vel etiam αὑτὸς exspectamus, in nostro loco tale quid oratori conjectura inferre ne audacius sit vereor [2]). Westermannus autem recte mihi videtur

---

1) Programma universitatis Rostochiensis. 1866. orationem XII cum adnotationibus criticis continens.

2) Exempla hujus usus, quae Lipsius (l. c. p. 18 adn.) congessit, pleraque genetivum pronominis οὗτος ex substantivo pendentem praebent. Quod vix casu accidisse puto, quum appareat, genetivum, quippe qui per se spectatus pars enuntiati non sit, non ea ratione offendere, qua formae pronominis οὗτος ex verbo rectae. Quae animadversio firmatur or. III, 28 ubi exstat: λέγει δ' ὡς ἡμεῖν ἤλθομεν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν τούτου ὄστρακον ἔχοντες καὶ ὡς ἠπείλουν αὐτῷ ἐγὼ ἀποκτενεῖν. Duos tantum

vidisse, codicem vera ita tantum ut librarius non recte intellexerit ac falsa forma descripserit servasse. Notissimum enim est, Graecos ante tempus illud, ex quo *ἡ ἀπ' Εὐκλείδου γραμματική* usurpata est, *ο* et *ω* una ratione scripsisse et *ι* subscriptum reliquis litteris adposuisse, ita ut verbum rarius usurpatum *οἷ* facile in usitatissimum mutari posset. Neque vero formam *οἷ* interdum ab oratoribus vetustioribus non usurpari Kruegerus quem citat Westermannus exemplis allatis demonstravit neque Frohbergeri (addenda p. 212.) dubitatio satis valet, qua ei, qui Westermanni conjecturam recipere velit, locos afferendos esse putat, in quibus verbum *αὐτός* significatione „gerade" eadem modo quo cum verbo *οὗτος* inveniatur, etiam cum *ἐκεῖνος* conjunctum sit. Nam ex primaria verbi *αὐτός* significatione, etiamsi aliter eadem ratione pronomini *ἐκεῖνος* adjectum non inveniamus, verba *ἐκεῖνα αὐτά* significare posse „illa ipsa" vel vernacule „gerade jenes" evadere mihi videtur.

Contrarium mendum librarius, qui codicem descripsit, commisit §. 89, quo Scheibius (II, XXXI) recte pro eo, quod legitur, *πολλοὶ* restituit *πολλῷ*. Atque idem ei accidisse videtur §. 56, ubi cum Rauchensteinio, cui Kayserus (Heidelberger Jahrbb. 1866. p. 783.) adstipulatur, legendum videtur *ᾧ καὶ φανερῶς ἐπεδείξαντο* pro codicis *οἷ καὶ φανερῶς ἐπεδείξαντο* — sed hoc loco si Rauchensteinio fidem habemus, liber manuscriptus signum fortasse genuinum veri scriptum

---

locos affert Lipsius, in quibus accusativus ita usurpatus invenitur. Quorum alter legitur in or. XIV, 31: *καίτοι σφόδρα εἴθισται λέγειν ὡς οὐκ εἰκός ἐστιν, τὸν μὲν πατέρα αὐτοῦ κατελθόντα δωρεὰς παρὰ τοῦ δήμου λαβεῖν, τοῦτον δ' ἀδίκως διὰ τὴν φυγὴν τὴν ἐκείνου διαβεβλῆσθαι*, ac verisimile est, pronomen *τοῦτον*, ad quem transitus quasi enuntiato — *τὸν μὲν πατέρα αὐτοῦ* — paratur, praecipue propter verbum oppositum *ἐκείνου* locum habere. cf. XXV, 33. (Pronomen *οὗτος* — neque vero *ὅδε* — jam apud Homerum semper usurpari, ubi oppositio quaedam exprimenda sit, observavit Hentze, Philol. vol. XXVII, p. 510 et 512.) Alter in or. XXVIII, §. 7 legitur: *οὕτως γὰρ ἡγοῦνται, οὐκέτι τοῖς σφετέροις αὑτῶν ἁμαρτήμασι τὸν νοῦν ὑμᾶς προσέχειν, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῆς πόλεως ὀῤῥωδοῦντας ἡσυχίαν πρὸς τούτους ἕξειν*. Sed hoc quoque locum enuntiatum *οὐκέτι τοῖς σφετέροις αὑτῶν ἁμαρτήμασι τὸν νοῦν ὑμᾶς προσέχειν* inter verba *ἡγοῦνται* et *ἀλλ' ἡσυχίαν πρὸς τούτους ἕξειν*, quo transitus facilior fiat, intercedere videmus. Cui observationi in universum non repugnant exempla a Foertschio (observationes criticae etc. Lips. 8. p. 68 sqq.) collecta quae non omnia quidem prorsus ad rem, de qua agit, quadrant. In nonnullis enim etiam secundum nostram dicendi rationem ex oratoris arbitrio pendebat, pronomen *αὐτός* vel *οὗτος* usurpare, in alio (XXXII, 14) verbum *ταύτην* non ad accusatum refertur ac recte a Scheibio et Rauchensteinio in *αὐτὴν* Reiskio auctore mutatum est. In eis autem, quae repugnare videntur, certam quandam usus caussam inveniri posse puto, ut in loco jam collato (XXV, 33), ubi res prorsus eadem est ac XIV, 31. Itaque certis finibus hunc usum circumscribi patet, quos ne egrediamur conjectura quam maxime caveamus.

habet *oἷ* (cf. Rauchenst. IV, p. 242, aliter Scheibius II, XXIX.). — Kayserus ipse jam caussam attulit, quae satis valet; adjici potest, verbis allatis sermonem non ad rem prorsus novam, quod lectione *οἷ* recepta fieret, progredi, sed aliquid commemorari, quod cum eis, quae antecedunt, arctissime cohaereat verboque *ᾧ* aptissime adjungatur [1]).

Neque §. 51 sanus est. Atque offensionem quidem praebent quae statim post initium leguntur verba *ὡς ἀμφότερα ἐγὼ πολλοῖς τεκμηρίοις παραστήσω καὶ τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς ... γιγνομένας*. Attamen hoc loco, num conjectura ac quaenam necessaria sit, non dijudicem; — cf. de hac re Frohb. adn. ad locum et addenda p. 212. Rauchenst. Jahns Jahrbb. vol. 93, p. 651 — hoc unum moneam, nobis codicum lectionem retinentibus melius comma, quod Rauchenst. in edd. III et IV, Cobetus, Scheibius post verbum *παραστήσω* posuerunt, cum Frohbergero, quum verba *ἀμφότερα ταῦτα* et *τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς ... γιγνομένας*, ut Rauchenst. ipse animadvertit, aequo loco posita atque ab eodem verbo recta sint, signo interpunctionis adjecto fortasse ab *ἐνόμιζεν* pendere viderentur, omittendum esse. — Jam Lysias his verbis pergit: *ὁπότεροι* — in codice Pal. tum sequitur *μοι* — *ταῦτα πράξουσι καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσιν*. E quibus jure in suspitionem vocatur verbum *ταῦτα*. Frustra enim circumspicimus, ad quaenam verba referatur. Neque Rauchensteinius locum satis defendisse videtur, quum in ed. IV explicet: das Bekannte, nämlich die oligarchischen Pläne [2]). Quae

1) cf. Rauchenst. in Jahns Jahrbb. Bd. 93, p. 652. Foertsch, commentatio critica de locis nonnullis Lysiae et Demosthenis p. 7 (observationes critt. p. 7, quas Westermannus (III, 20.) citat, nihil praebent).

2) Rauchensteinii sententia verbis §. 65 *καὶ ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ τῶν προβούλων ὢν ταὐτ' ἔπραττεν*, quae et ipse et Fritzschius (l. c.) afferunt, non fulcitur. In quibus res prorsus aliter se habet, quum verba ipsa, ad quae vocabulum *ταῦτα* redeat, in fine enuntiati quod antecedit, leguntur: *πείσας ὑμᾶς τὴν ἐπὶ τῶν τετρακοσίων πολιτείαν ἑλέσθαι*. Atque si particulam *καὶ* ad sola verba *ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ* significatione „auch", qua Latinorum scriptores posteriores „et" uti solent, referimus (cf. Krueger, I, 69, 32 Anm. 12., Matthiae, Aufl. III, §. 620. praeterea Lys. XIV, 10: *ἱππεύσαντες καὶ τὸν ἄλλον χρόνον.*) sententia simplex exsistit: et (*ὁ μὲν*) pater quoque ejus, quum in probulis esset, hoc, quod Theramenem fecisse orator antea dixit, efficere studuit. Sin quis hoc in verbis inesse posse neget, cum Frohbergero *ταὐτ'* legentes, quod h o c loco — aliter, ut infra in disputatione videbimus, res se habet in loco, de quo disseritur — sine ulla dubitatione fieri potest, Rauchensteiniana verborum explicatione non usi optimam eamque simplicissimam sententiam habemus: ac ejus pater quidem eadem studuit efficere. Quam explicationem rectam esse etiam Kapeyne van de Copello nuper (Jahns Jahrbb. vol. 97, p. 481) statuit. Verba autem ita optime connexa sunt cum eis quae antecedunt; in quibus cogitatio subintellegitur: neque id mirum, Theramenem talem se praestitisse. Cujus pater eadem efficere studuit. Er ist nicht aus der Art geschlagen.

significatio num in verbo inesse possit maximopere dubito; neque eam, si inesse posset, ad sententiarum nexum prorsus quadrare censeo. Verba ὁπότεροι ... ἄρξουσιν epexegesin, quae dicitur, eorum quae antecedunt τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ἀλλ' ὑπὲρ ἑαυτῶν γιγνομένας continent. Quae verba si respiciamus partemque epexegesis alteram καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσιν comparemus ac praeterea Lysiae in optimates animi recordemur, toti epexegesi sententia subesse suspicamur: (discidium de ea quaestione ortum esse), quaenam optimatum pars rei publicae gubernaculum — populo jam dudum ereptum — tractatura sit. Sermo igitur in enuntiato mihi videtur esse non de consiliis optimatum perficiendis, sed de imperio tenendo. Ac tale quid inesse plerique vv. dd., qui de loco protulerunt sententiam, statuerunt, nihilo minus Westermannum (comm. Lyss. III, 18.) conjecturis, quae prolatae sint, enumeratis jure suo dixisse putaverim: Lysias quid scripserit, nondum inventum est. Sed jam medelas, quae propositae sunt, contemplemur. Marklandus scribendum esse censuit: ὁπότεροί μοι πάντα. Sed quum verbum μοι omnino hic locum non habeat, de hac emendandi ratione jam nihil dicam. Verisimillimum autem est, verbum μοι litteris ultimis vocis ὁπότεροι male repetitis esse ortum. Quo considerato Reiskio conjicienti ὁπότεροι μόνοι πάντα πράξουσι ne fidem habeamus, quod nuper fecit Fritzschius (l. c.), monemur. Verbum μόνοι autem ad ὁπότεροι adjectum prorsus abundat atque cavendum est ne tale quid Lysiae obtrudamus. Magis arrident ex sententiae rationibus Dobrei et P. R. Muelleri mutationes, quorum alter pro ταῦτα proponit μέγιστα vel τὰ μέγιστα, alter ὑμῖν τἀναντία. Sed quomodo verba τὰ μέγιστα vel ὑμῖν τἀναντία in ταῦτα depravata sint, non potest cognosci. Idem cadit in Bakii conjecturam πάντα πράττοντες τῆς πόλεως ἄρξουσιν, quae jam eam ob caussam minime expedita est, quod duobus deinceps locis auctor corrigere vult. Quae quum ita essent, Frohbergerus novam difficultatis solvendae viam ita sibi invenisse videbatur, ut ταυτα non pronominis οὗτος, sed ὁ αὐτός formam esse statueret. Atque hic explicandi conatus non una ex caussa primo obtutu nobis commendatur; si autem accuratius rem perspicimus, quum sententia non satis recta evadat, rejiciendus videtur. Egit de hoc loco Kayserus (Heidelb. Jahrbb. 1866. p. 786) qui prius verbum ὁπότεροι alterum ταὐτὰ excludere recte statuit. Dici enim potest ὑμῖν ταὐτὰ πράττομεν ut in or. nostrae §. 90 legitur: ὀφθήσεσθε τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμηταὶ τούτοις ὄντες; cf. Xen. Hell. II, 4, 9; vel πάντες ταὐτὰ πράττουσιν. Neque vero verbum ταὐτά, si de alterutrius partis rebus gestis sermo est, ita ut altera neque comparetur neque simul contineatur, adhiberi

potest. Jam quum corruptelam in loco inesse persuasum mihi sit, nova sanandi ratio quaerenda est, de qua cogitanti mihi in mentem venit, Lysiam fortasse scripsisse: *ὁπότεροι τὰ κοινὰ πράξουσι καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσιν.* Quam emendandi viam praeter Frohbergeri esse expeditissimam facile quisque concedet. Verba *τὰ κοινὰ πράττειν* haud raro conjuncta esse significatione „rem publicam gerere" notum est. cf. Platon, Hipp. maj. p. 282 B. Gorgias, 514 A. Ut studia XXX virorum autem, qui sua ipsorum commoda in gubernanda re publica semper sequuti sint, luculentius appareant, aptissime adjunguntur verba *καὶ τῆς πόλεως ἄρξουσιν.* Quo simul comprehenditur quid de Herwerdeni Batavi verba *καὶ — ἄρξουσιν,* quippe quae manifestum emblema sint, ejicientis sententia sit judicandum. Qui vir doctus, in verbis ejiciendis omnino justo audacior, saepius talem verborum delendorum caussam affert qualis „manifestum emblema, interpretamentum, male repetitum, ut rationem Cobetianam fortasse non prorsus rejecerit (cf. Kayser, Philol. XXV, p. 318).

Jam in Pal. sequuntur verba *καὶ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων ἐστασίαζον.* Quo in enuntiato condicionem latere Canterus vidit ideoque *καὶ γὰρ εἰ* scribendum esse censuit. Similiter locum restituerunt Schottus alii scribentes *εἰ γάρ.* Atque utraque ratione, quamquam Fritzschius in universum non injuria conjecturis allatis dicit: at *καὶ γὰρ εἰ* „nam etsi nam etiamsi" potius denotare solet, quam „etenim si" (cf. etiam Krueger, Gr. I, 69, 32, Anm. 21), ea fere, quam desideramus, sententia efficitur, sed quid Lysias scripserit, incertum est, et ne hoc quidem constat, verbo *εἰ* altera utra ratione in textum, qui vocatur, illato locum fieri sanum. Genuina enim forma etiam haec esse potest: *καὶ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων στασιαζόντων ποῦ κάλλιον ἦν* sqq. Quum verborum *(στασια)ζόντων ποῦ* litterae majusculae sint *ZONTONΠOY*, facillime fieri potuit, ut litterae *των* exciderent, quo facto postea augmentum adjectum est. Participium et genetivum absolutum saepius continere sententiam condicionale notum est (cf. Krueger I, 56, 11).

Denique, ne quid omittam, sub finem enuntiati, de cujus parte egimus, verbum traditum *συνουσίαν* ferri non potest. Editores igitur Marklandi conjecturam *εὔνοιαν* recipientes, quam esse facillimam jam monuit Scheibius (emendationum Lyss. fasciculus. Neu-Strelitz. Programm. 4. p. 26 adn.) — nam *EYNOIAN* = *ΣYNO(YΣ)IAN* — corruptelam tollere sibi visi sunt. Quibus confidenter adstipulatus sum, dum ea, quae Fritzschius (l. c.) de hoc loco exposuit, legi. Dicit autem haece: „at neque verba *συνουσία* et *εὔνοια* in codd. permiscentur et nostro loco potius ad verba praegressa *ἀνδρὶ ἄρχοντι* et proxima *μετὰ τῶν συναρχόντων* adtendendum

erat. Sed quid multa? Lysias — scripsit *τὴν αὑτοῦ ἐξουσίαν*, quod primo in *ξ*, deinde in *σ* corruptum est, significat autem *ἐξουσία* muneris auctoritatem — Amtsgewalt — sive hoc loco idem quod *συναρχίαν*. Eratosthenem enim in XXX viris fuisse constat". Quae conjectura praecipue ex sententiae rationibus alteri fortasse praeferenda est.*

XIII, 17

leguntur in cod. P. haec verba: *γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες, οἳ κωλύσουσι τὸν δῆμον καταλυθῆναι καὶ ἐναντιώσονται περὶ τῆς ἐλευθερίας, εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι.* Quae sententia in eis quae antecedunt insit, jam supra diligentius exposui, nunc autem statim ad artem criticam transeam. Hamakerus igitur Batavus, quem multis quidem locis Lysiacis medelam felicem attulisse, plurima autem, quae sana essent, sine caussa tentasse Scheibius libro in eum scripto (Vindiciae Lyss. Lips. 1845. 8.) probavit, verbum *ταῦτα* se recte habere dubitavit atque *ἐκ τουτων* scribere proposuit. Quam sententiam Scheibius (l. c. p. 69) refutavit, neque quidquam de re jam diceremus, nisi Westermannus (Quaestionum Lyss. pars I. Lips. 1860. 4. p. 4.) in corruptela statuenda Hamakero adstipulatus *ἐνταῦθα* pro *ταῦτα* in textum inserere vellet. Sed jam de caussis, quas Hamakerus et Westermannus attulerunt, videamus. Hamakerus otiosum esse verbum ait et praesertim in plurali numero ferri nequire. Qui verbum *ταῦτα* simpliciter ad ea, quae sequuntur, videtur retulisse, quum aliter, quomodo talia dicere potuerit, omnino intellegi non possit. Sed ne tum quidem, si illud fieri possit vel etiam debeat, verbum *ταῦτα* contra sermonis usum dictum esse, exempla a Scheibio allata aliaque probant. Testimoniorum autem, quae Scheibius e Xenophonte repetivit, prius quum aliter explicandum sit neque quidquam demonstret mittamus[1]), alterum sumpsit ex Cyrop. VI, 1, 25: *ταῦτ' ἔλεγον, ὅτι ὁ Ἀσσύριος οἴχοιτο ἐπὶ Λυδίας.* Addidit Lysiae II, 73 *τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον γένοιτο ἢ τεκεῖν μὲν καὶ θρέψαι (καὶ θάψαι* — Scheibius seclusit in ed. Reiskio auctore —) *τοὺς αὑτῶν*, qui locus, etiamsi aliam

1) Invenitur in Cyrop. V, 4, 24, quo leguntur verba: *ἐννοήσας δὲ ... οὕτως ὅσους τε τῶν πολεμίων ἀφίει, τούτους ἐκέλευσε λέγειν τῷ Ἀσσυρίῳ καὶ αὐτὸς κήρυκα ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ταῦτα λέγοντα, ὅτι ἕτοιμος εἴη* sqq. ac verbum *ταυτα*, ad quod suppleas *τοῖς πολεμίοις*, *οὓς ἀφίει*, formam esse pronominis *ὁ αὐτός*, ita ut verba *καὶ αὐτὸς ... λέγοντα* parenthesin efficiunt, apparet; id quod. edd. recc. G. Sauppium et L. Dindorfium recte intellexisse video.

constructionem praebeat, verbi *οὗτος* usu simillimus nostro est. Quibus adjici possunt Lys. X, 28: *τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο αὐτῷ, ἢ τεθνάναι μὲν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, αἰτίαν δ' ἔχειν ὑπὸ τῶν παίδων* (cf. Plat. Criton p. 44, C) et XVI, 7: *καίτοι πᾶσι ῥᾴδιον τοῦτο γνῶναι, ὅτι ἀναγκαῖον ἦν τοῖς φυλάρχοις* sqq. [1]). In eis, quos attuli, locis verbum *οὗτος* praecipue ad ea, quae sequuntur, relatum omitti potest, quo sententia non mutetur. Eadem autem loci, de quo agimus, ratio est, si pronomen *ταῦτα* ad ea sola, quae sequuntur, referri statuamus [2]). Jam quae Westermannus, ut ostendat, locos Xenophonteos in hac re non satis valere disputavit, mihi — quamquam res altero loco Xenophonteo rejecto minoris momenti est — non ea videntur esse, quibus respectis loci nihil ad quaestionem solvendam attribuant. Verbum *ταῦτα* ait in eis referri ad ipsa verba ejus, qui loquitur, neque Xenophontem pro summo atticae dictionis exemplo haberi posse. Attamen in nostra re nihil differt, utrum pronominis *οὗτος* forma ad ipsa verba ejus qui loquitur, an ad cogitationes ejus, de quo sermo est, referatur; neque satis scio, ex quibus scriptoribus praeter Lysiam sermonis Attici leges cognoscamus, nisi Xenophontem ac Platonem comparemus. Sed recc. edd. — Rauchensteinius et Frohbergerus, cujus adnotationem praecipue conferas — recte intellexerunt, verbum *ταῦτα* ad ea, quae antecedunt, referendum esse, ita ut enuntiatis *ὅτι* ... *ἐλευθερίας* eorum, quae antecedunt et verbo *ταῦτα* colliguntur, summa, quo melius rem perspiciamus, repetatur. Quo considerato jam nihil dicam de Hamakeri sententia, verbum otiosum esse neque numerum pluralem habere locum, immo praecipue quum pronomen inveniatur in narratione, quam *λέξιν εἰρομένην* puram praebere Blassius (l. c. p. 412 sq.) rectissime ostendit, optime se habet librorum lectio. Accedit autem, id ipsum, quod Hamakerus pro verbo *ταῦτα* substituere vult, *ἐκ τούτων* ne si legatur quidem prorsus quadrare in locum. Quum enim §. 15 dictum sit, *ὁρῶντες* ... *οὐκ ἔφασαν* — duces illi — *ταῦτα γενέσθαι,* Theramenes ejusque socii hoc ipsum viros quosdam rei publicae eversioni restituros esse cognoverunt neque ex aliis rebus concluserunt. Atque etiam Westermanni conjectu-

1) In codice pro verbo *ὅτι* legitur sane *διότι;* sed quum hoc verbum significatione „dass" pro simplici *ὅτι* praeterea apud Lysiam omnino non atque inter Atticos scriptores optimos apud eos solos oratores, qui hiatum accurate invitent, praecipue igitur apud Isocratem usurpatum inveniatur (cf. Benseler, Isocratis Areopagiticus, praecipue p. 398 et 409. Blass, l. c. p. 413 sq.) Scheibius et in IV. ed. etiam Rauchensteinius recte correxerunt *ὅτι*.

2) Tetigerunt hunc vocabuli *οὗτος* usum etiam Matthiae, §. 472, b ac imprimis e, ubi in exemplo Platonico Soph. p. 234 B *τοῦτο* prorsus eadem ratione usurpatum est, et Krueger I, 51, 7 Anm. 3.

ram ἐνταῦθα scribentis pro ταῦτα, quam facillimam esse quisque perspicit, temporis notionem magis, quam hoc loco aptum videtur, fortasse premit. — Verbum ταῦτα autem medium quasi locum inter ea, quae antecedunt et quae sequuntur, obtinere, ut ad utramque partem trahatur, nihil praebet offensionis neque aliter in exemplorum, quae attulimus, parte usurpatum invenimus [1]). Jam verbum περὶ post ἐναντιώσονται retinendum neque cum Marklando, Bakio, Westermanno (cf. Westermann, qu. Lyss. I, 5 adn.) in ὑπὲρ mutandum esse, quippe quam rem Frohbergerus recte exposuerit, non tractem neque de eis, quae statim sequuntur, verbis τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης, quum jam supra tractata sint, agam. Sed paucis disseram de verbo πρῶτον, quod Frohbergerus Westermannum (I, 6) sequutus in πρότερον mutavit. Westermannus codicum lectionem corruptam putat, „quod verbum secundo loco positum cogitari non possit. Itaque quum duo hoc loco ita conjungantur, ut alterum faciendum dicatur esse visum antequam alterum evenisset, necessario πρότερον scribendum est". Cui assentiri non possum. Lex illa enim, ex qua, si de altero utro homine vel

1) Ac duplicem relationem et ad ea, quae antecedunt et ad ea, quae sequuntur, non solum singula verba, sed etiam partes enuntiatorum majores saepius habere videntur. Cujus rei exemplum invenisse puto in or. XII, 5: ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες δὲ (verbum δὲ addidit Contius) . . . τραπέσθαι καὶ τοιαῦτα λέγοντες οὐ τοιαῦτα ποιεῖν ἐτόλμων. Hunc igitur locum impeditum (cf. Frohberger, Anhang, p. 203 sq.) ita facillime explicari posse censeo, ut verba φάσκοντες δὲ oppositionem eorum quae praecedunt, οἱ τριάκοντα . . . ὄντες efficiant, deinde autem vocabulis καὶ τοιαῦτα λέγοντες transitu parato ad enuntiatum primarium, quod sequitur, trahantur vel mente adjiciantur. Verba ὄντες ... φάσκοντες enim non esse opposita, Lysiam isocola et antitheses amare ac saepissime usurpare memoria tenenti mihi persuaderi non potest. In universum autem ut particulae μὲν δὲ καὶ similesque saepius a librariis omittantur quam falsis addantur locis res ipsa fert, ut multo facilius δὲ adjici, quam μὲν post πονηροὶ et καὶ ante τοιαῦτα — ex plurimorum vv. dd. sententia — expungi possint. Neque vero Meutznero assentiri possum statuenti (Jahns Jahrbb. Bd. 91, p. 669 sq.) sententiam, quae loco ita constituto evadat, neque per se aptam esse neque cum eis concinere, quae reliqui scriptores ac praecipue Xenophon tradant. Dicit enim: wem in aller welt wäre es je eingefallen, notorischen schurken bloss darum die höchste gewalt im staate zu übertragen, weil sie versprechen, andere schurken zu unterdrücken? atque addit, ex Xen. h. gr. II, 3, 12. Lys. XII, 75, XXV 19 apparere, XXX viros neque antequam neque dum crearentur promissa fecisse. Cujus expositionis fundamentum est, in verbis φάσκοντες χρῆναι sqq. caussam ac solam caussam, quapropter XXX viri creati sint, inesse. At caussa omnino his verbis non contineri videtur, sed enuntiata πονηροὶ μὲν ὄντες, φάσκοντες δὲ simpliciter ad XXX virorum indolem describendam addita sunt. Egit de enuntiatis et ad protasin et ad apodosin referendis apud Graecos praecipue Homeri ratione habita Hentze, zur Periodenbildung bei Homer. Osterprogramm des Göttinger Gymn. 1868.

de altera utra re sermo est, comparativus usurpetur, non ita tenet, ut exceptiones rarissimae sane datae non sint. Quod etiam in verbum πρῶτον pro πρότερον usurpatum cadit. Nam poëtae, praecipue Homerus, sed etiam Attici — Sophocles et Aristophanes — nonnumquam πρῶτον ibi adhibent, ubi πρότερον exspectamus. Il. XIII, 502 de certamine singulari legitur: Αἰνείας δὲ πρῶτος ἀκόντισεν Ἰδομενῆος. cf. XVIII, 92. Soph. Antig. v. 1348. πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. Aias 108—110: πρὶν ἂν δεθεὶς πρὸς κίον' ἑρκείου στέγης — μάστιγι πρῶτον νῶτα φοινιχθεὶς φανῇ. Neque non invenitur apud posterioris aetatis scriptores. cf. Schol. ad Arist. nubb. v. 552: πρῶτος ὁ Μαρικᾶς ἐδιδάχθη τῶν δευτέρων Νεφελῶν. Plutarch, Cato minor p. 767 C: οὔτε τις πρῶτος ἀνέστη Κάτωνος. Heraclitus Ephesius apud Clementem Alex. p. 712 πρῶτον ἦν ἢ γενέσθαι γῇ [1]). Atque usum tam liberum optimis scriptoribus non fuisse concessum statuendum videtur neque vestigia, quae πρῶτον pro πρότερον cum genetivo praebent — Herodot. II, 2 jam Wesselingius πρώτους γενέσθαι πάντων ἀνθρώπων recte vertit primos omnium hominum — neque talia, quale in Clementis Alex. loco invenimus, in eis exstant. Sed vix credam, eam ob caussam etiam nostrum locum corruptela laborare. Notum est enim, Lysiam sermonen usitatum, quem talia servasse satis verisimile sit, in orationibus suis ac praecipue in narrationibus quam maxime imitatum esse. Qua re Blassium commotum esse puto, ut verbum in explicanda hujus periodi inconcinnitate, quae dicitur, (l. c.) retineret. Jam conjunctionem verborum πρότερον πρίν paullo accuratius contemplantes aliam legis laesae excusationem inveniemus. Graeci, quum post πρότερον verbum ἤ evitare soleant, verbis πρότερον πρίν significatione »prius quam« ita uti solent, ut correlationem quandam exprimant. Eandem autem notionem fere habet sola vox πρίν. Ac plerumque quidem verbum πρίν, ubi cum πρότερον conjunctum est, modus indicativus — vel conjunctivus, optativus — multo rarius autem infinitivus sequitur. Id quod minime mirum videtur esse. Ubi enim πρίν cum indicativo — conj. opt. — conjunctum invenimus, duo habemus enuntiata duasque res quae aliqua temporis relatione continentur. Cujus rei ut in utraque parte indicium adsit, πρότερον plurimum in apodosi additum est. Si autem enuntiatum consideramus, cui πρίν cum infinitivo insertum est, conjunctionem in praepositionis naturam quodam modo abire quis dicat. Una quasi actio adesse nobis videtur, cujus tempus infinitivo cum πρίν addito simpliciter definitur. Quocum con-

1) Loci quos attuli plerique collecti sunt a Musgravio, Soph. tragg. Oxonii 1800. 8. Bd. I. p. 552, quem cf.

cinit, *πρίν* cum infinitivo usum eum esse, ut pronuntiatio primaria negationem non habeat. Ubi enim in apodosi negatio inest, protasis conjunctione *πρίν* annexa per se magis valet atque correlatio enuntiatorum premitur quam ob rem verbo *οὐ* plerumque adjectum invenimus *πρότερον*. Quibus omnibus animo pensitatis verbum *πρῶτον*, quod non arcte cum conjunctione *πρίν* colligatum sit ac pluribus verbis interpositis eam sequatur, non mutaverim. Enuntiationis pars enim, de qua egimus, verti potest: consilium ceperunt, ante contionem factam primum quidem viros illos in insidias ac pericula injicere.

Gravissimis corruptelis laborat or. XIII,

§. 31,

ubi in cod. haece exstant: *ἐβούλοντο τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἔτι πλειόνων αὐτὸς τὰ ὀνόματα ἀπογράψαι· οὕτω γὰρ σφόδρα ἔρρωτο ἡ βουλὴ κακόν τι ἐργάζεσθαι· αὐτὸς οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς ἅπαντα τἀληθῆ πω κατηγορηκέναι· τούτους μὲν οὖν ἅπαντας ἑκὼν ἀπογράφει, οὐδεμίας αὐτῷ ἀνάγκης οὔσης· μετὰ τοῦτο προςαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν.* Ac priorem paragraphi partem optime nunc esse constitutam censeo a Kaysero, qui Sauppii conjectura (epistola critica ad Godofr. Hermannum. Lips. 1841. 8. p. 24. sq.), qua *καὶ* post *ἐργάζεσθαι* adjiciendum sit, recepta scribit [1]): *ἐβούλοντο — αὐτὸν τὰ ὀνόματα ἀπογράψαι· οὕτω — ἐργάζεσθαι, καὶ οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς πάντα τἀληθῆ πω κατηγορηκέναι.* Quae P. R. Muellerus (Philol. XII, p. 97) contra nonjunctionem enuntiati *οὐκ ἐδόκει* sqq. verbo *καὶ* effectam adnotat „orationem fieri languidiorem, quum parvo intervallo eadem aliis verbis particula *καί* adnexa repetantur", non probarim. Idem enim quod in antecedentibus *ἐβούλοντο — ἀπογράψαι* non inest, sed caussa eorum, qua senatus perfidia ironia acerbissima perstringatur, adjicitur. Quod dictum sale Attico perfusum, si enuntiatum primarium efficit, multo majorem vim habet verbisque *οὕτω — ἐργάζεσθαι*, quibus caussa secundum oratoris sententiam affertur, multo fortius opponitur. Ac omnino talibus pronuntiationibus, quibus novum et inexspectatum profertur, constructio soluta, ut apud nostrates fit, melius sonvenire videtur. Conjectura igitur, quam profert *ἐργάζεσθαι ὥστε*, etiamsi ad nexum sententiarum logicum optime excogitata est, praesertim quum justo audacior sit, rejicienda est. Jam vero minus eis, quae Kayserus (H. J. p. 302) de altera paragraphi parte profert, possum adstipulari. Quo loco postquam Do-

1) Heidelb. Jahrbb. 1866, p. 783; priore tempore aliter judicavit, cf. H. J. 1854, p. 229, ubi proposuit *ἐργάζεσθαι ὥστε καὶ οὑτοσί*, et H. J. 1866, p. 302, ubi verba *καὶ αὐτὸς — κατηγορηκέναι* Herwerdenum sequutus expungenda statuit.

braeus primus verba μετὰ τοῦτο προσαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν quippe petita ex paragrapho 56, ubi eadem fere de Menestrato leguntur, in dubitationem vocavit, omnes editores recentiores ea vel uncis secluserunt vel omiserunt, atque apparet, ea antecedenti enuntiato τούτους μὲν οὖν ἅπαντας — οὔσης, quo expositio finitur, atque prorsus aliis rebus sequentibus ferri non posse. Quibus verbis nuper Frankenius locum suum restituere studuit, ut enuntiatum τούτους — οὔσης in initio §. 31 collocaret ac post πολιτῶν adderet: καί μοι λέγε τὰ ὀνόματα. Sed hoc fieri non posse Frohbergerus in add. (p. 227) demonstravit ac Kayserus (l. c.) quoque non verisimile esse duxit. Praeterea autem verbis ita collocatis lacunam, quum desit, quo modo Agoratus oppositis enuntiatis τούτους μὲν οὖν ἅπαντας ἑκὼν ἀπογράφει οὐδεμίας αὐτῷ ἀνάγκης οὔσης et μετὰ τοῦτο προσαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν ad alteram hominum partem deferendam *coactus sit*, statuendam facile apparet. Sed priusquam illud, quod Frankenius proposuit, animadverti, alia verborum collocatione, qua enuntiata τούτους — οὔσης et μετὰ τούτους — πολιτῶν locum mutarent, mendum fortasse sanari videbatur. Enuntiato μετὰ τοῦτο autem anteponam verba καὶ ἀληθῶς, quae antecedentibus ἀληθῆ — κατηγορηκέναι et perturbatione orta facillime omitti potuerint. Tum quidem pronuntiatione καὶ ἀληθῶς — πολιτῶν, id quod homines illi voluerint, effectum esse indicatur, altera autem τούτους μὲν οὖν ἅπαντας — οὔσης tota de delatione ad senatum narratio aptissime concluditur. Fortasse cui talis commemoratio, Agoratum etiam plures denuntiasse, nimis brevis et arida videatur; sed orator quum in rebus prioribus ac praecipue in denuntiatione longius commoratus esset, ad ulteriora progredi desiderat. Utcunque autem res se habet, si lacuna statuenda verbaque illa delenda sunt, non cum Kaysero post enuntiatum τούτους — οὔσης, sed ante hoc enuntiatum aliqua excidisse arbitror. Nam verba τούτους — οὔσης, sed ante hoc enuntiatum aliqua excidisse arbitror. Nam verba τούτους — οὔσης optimum narrationis finem praebere jam supra indicavi neque ea cum Rauchensteinio (adn. ed. IV.) ad eos solos, quos Agoratum porro deferre senatus voluerat, referri posse mihi videntur. Id quod Lysias aliter expressisset. Atque quidem ea quae exciderint, denuntiationem illam posteriorem accuratius, quam fit verbis „καὶ μετὰ τοῦτο προσαπογράφει ἑτέρους τῶν πολιτῶν", continuisse puto, qua de re post verba οὐκ ἐδόκει αὐτοῖς ἅπαντα τ'ἀληθῆ πω κατηγορηκέναι plura fortasse commemorata esse quis exspectet.

§. 85

orator ea, quae Agoratus in defensione prolaturus sit, figura usus, quae dicitur ὑποφορά, non valere studet ostendere.

Agoratum esse dicturum, accusationi ἐπ' αὐτοφόρῳ esse adscriptum eamque, quum in flagranti captus non esset, totam esse irritam. Sed stulti esse, censet orator, confiteri culpam ac nihilo minus, quum aliquod accusationis verbum in ipsum non prorsus cadat, poenae liberationem postulare. Tali sententiarum nexu continentur codicis verba: τοῦτο δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἔοικεν ἢ ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι, μὴ ἐπ' αὐτοφόρῳ δὲ sqq. Quo in loco primus offendit Reiskius, qui verba τῷ ante et μέν post ὁμολογεῖν inserenda esse statueret. Sed hac emendatione genus dicendi duriusculum existere atque languidum Westermannus (quaestt. Lyss. I, 22.) intellexit, quapropter aliam conjiciendi viam iniit proponens: τούτῳ δὲ οὐδὲν ἄλλο ἔοικεν ἢ ὁμολογεῖν μὲν ἀποκτεῖναι, ita ut ἔοικεν ad Agoratum, τούτῳ significatione „hiermit" ad id ipsum, quod modo dictum sit, redeat. Quae quum fere dicat, hance ni fallor inesse putat sententiam: hac ratione nihil aliud (facere) videtur, quam concedere quidem se interfecisse. Atque Westermannus, priusquam verba ita restituenda esse dicat, Scheibium duobus deinceps locis tam parvo intervallo disjunctis in libris aliquid excidisse statuentem reprehendit. Sed quum ipse tribus deinceps locis paullum sane mutandum vel addendum esse censeat, leviori certe, attamen simili ratione loco medelam attulisse videtur. Ac sine dubitatione in universum praeferendum est, uno verbo mutato locum sanare. Id quod commendavit H. Sauppius, qui simplicem sententiam τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἔοικεν ἢ ὁμολογεῖν" postulare dicit. (cfr. Rauchenstein, IV. p. 246.) Cogitatione esse supplendum εἶναι, quod apud verbum ἔοικεν non raro omittatur. Facillima sane emendatio atque etiam, si sententiam respicimus, optima. Sed si quis illud εἶναι in loco nostro praetermissum esse aegre tulerit, alia, qua sententia evadit validissima, iniri potest loci restituendi via. Scribere enim proponam: τοῦτο δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἔοικεν· ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι sqq. vel si magis placeat: τοῦτο δὲ οὐδενὶ ἄλλῳ ἔοικεν ἢ τουτῳί· ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι sqq., ita ut ἔοικεν verbi „decet" significationem habeat. Utramque medelam textus, qui vocatur, ratione habita esse in promptu, quisque facile concedet. Ac similis hic est loco ita constituto pronominis τοῦτο usus ei, de quo supra egimus, epexegeses autem, qualem orator adhibuerit, saepissime apud Graecorum sermonis pedestris scriptores optimos usurpantur. (cf. Krueger I, 57, 10. adn. 1 et praecipue 6.) Particula μὲν post ὁμολογεῖν necessaria non est; qua de re quum Frohbergerus in editione sagaciter exposuerit, jam nihil dicam.

Sub finem paragraphi 90 in codice legitur: οὐδένα γὰρ ὅρκον οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν ἄστει ὤμοσαν. Quae verba et rebus gestis et loci sententiae ita repugnant, ut mendum inesse appareat, sed quo modo sananda sint, inter vv. dd.

nondum convenit. Priusquam autem de loco agam, quum Westermannus (l. c. I, 24) de studio hunc locum conjecturis tentandi questus esset, me novam prolatis non additurum esse polliceor. Neque vero cum Westermanno, qui Scheibium conjecturas *τοῖς ἒν Πειραιεῖ ἀλλὰ τοῖς ἐν ἄστει* et *τοῖς ἐν ταὐτῷ* reliquis addentem reprehendat, sentiam. Sed jam reliqua, quae ad locum sanandum prolata sunt, proferam medelae conamina: Schotti, aliorum *οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν Πειραιεῖ*, Marklandi *οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς οὐκ ἐν ἄστει*, Baiteri *οἱ ἐν Πειραιεῖ ἢ τοῖς ἐν ἄστει*, Vischeri et Rauchensteinii *οἱ ἐν Πειραιεῖ εἰ μὴ τοῖς ἐν ἄστει.* Quae omnes conjecturae sententiam accurate respicientibus nobis in duas, si quid videmus, partes possunt dividi. Schotti, Scheibii, Marklandi emendationes enim haece continent: nam Piraeenses Piraeensibus jusjurandum non dederunt; reliquae contra: nam Piraeenses urbanis solis jusjurandum dederunt. Jam quum Westermannus et Scheibium novas conjecturas afferentem reprehendat neque Schottianam' rationem aliquid, quo commendetur, habere dicat, hac re, qua differant, neglecta litteras solas, quae correctio magis sit in promptu, respexisse videtur. Sed discrimen illud ad quaestionem solvendam, quae conjectura verisimillima sit, maximi puto esse momenti. Nexus sententiarum enim hic est: „jurajuranda facta sunt urbanis cum Piraeensibus. Si igitur Agoratus in urbe, nos in Piraeo fuissent, excusationem e foedere repetere posset. Aliter autem res se habet; et ille in Piraeo fuit et nos omnes, qui accusatione eum persequimur, ibi fuimus, ut foedera nobis impedimento non sint[1])." Jam sequuntur verba *οὐδένα γὰρ ὅρκον* sqq., quibus sententiam expressam esserequirimus: nullum enim jusjurandum Piraeenses Piraeensibus — vel accuratius: eis, qui ibidem fuerunt — dederunt. Explicatio enim in duas partes distributa est, quarum altera a verbis *οἱ γὰρ ὅρκοι* usque ad *αὐτῷ αἱ συνθῆκαι,* altera usque ad finem porrigitur. Si igitur in fine legeremus: Piraeenses solum urbanis jusjurandum dederunt, ea ipsa, quae in initio dicta sunt, repeterentur, secundae autem expositionis parti conclusio satis apta deesset. Quibus consideratis sequi videtur, conjecturarum, quae propositae sunt, solam Schottianam *τοῖς ἐν Πειραιεῖ* et repetitione verbi *καὶ* in antecedentibus respecta etiam magis Scheibianam *τοῖς ἐν ταὐτῷ* — altera

1) Westermannum (I, 24) sequor, qui in verbis *ὥστε οὐκ ἐστιν ἡμῖν ἐμποδὼν* pro *ἐστίν* rectissime conjecit *εἰσίν,* ad quod subjectum *συνθῆκαι* cogitando suppleatur. Lectionem traditam defendi posse antea statuerat Foertschius (com. crit. p. 11.); sed membrorum concinnitas et aequabilitas, quibus Lysiam maxime studuisse jam Dionysius Halicarnassensis praedicat, emendatione Westermanniana adeo adjuvatur, ut de ea recipienda jam non dubitem neque Foertschium in sententia sua perstare putem.

Scheibii *τοῖς ἐν Πειραιεῖ ἀλλὰ τοῖς ἐν ἄστει*, quippe qua de urbanis aliquid adjiciatur, minus placet et Marklandi *τοῖς οὐκ ἐν ἄστει* sententiam nimis indefinitam et paullo artificiosiorem praebet — propter nexum sententiarum adhiberi posse. E quibus, ut jam indicavi, Scheibianam eligam. — Jam in fine disputationis de hoc loco institutae Frohbergerum verba §. 89 *περὶ τούτων*, quae ante *κελεύετε* in codice leguntur, delentem rapi in errorem adjiciam. Quam rem Kayserum (Heidelb. Jahrbb. 1866. p. 782) jam tetigisse video. Aequabilitas enim membrorum ac vis, quae in fine hujus argumentationis posita est, simul cum his verbis expunctis deletur.

Progrediamur ad orationis XVI, §. 13,

ubi codex hanc periodum continet: *πρῶτον μὲν γάρ, ὅτε — ἔδει βοηθεῖν, ὑπ' Ὀρθοβούλου κατειλεγμένος βοηθεῖν, ἐπειδὴ πάντας ἑώρων τοῖς μὲν ἱππεύουσιν ἀσφάλειαν εἶναι δεῖν νομίζοντας, τοῖς δ' ὁπλίταις κίνδυνον ἡγουμένους, ἑτέρων ἀναβάντων ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀδοκιμάστων παρὰ τὸν νόμον, ἐγὼ προσελθὼν ἔφην τῷ Ὀρθοβούλῳ ἐξαλεῖψαί με ἐκ τοῦ καταλόγου, ἡγούμενος* sqq. Mantitheus, qui verba facit, postquam accusationem refellit, de vita sua privata pauca dicit, tum autem a §. 12 de vita sua publica ac praecipue, qualem in rebus militaribus se praebuerit, disserere incipit: se non solum nullam officii partem deseruisse, sed etiam periculis maximis sponte sua caput suum obtulisse. Sed §. allatam perlegentes statim offendimus in verbo illo *δεῖν*, in quo corruptela insederit. Quamquam enim *δεῖν* cum *οἴεσθαι, ἡγεῖσθαι* similibus conjunctum interdum quodammodo abundare videtur, vix dici potest: quum intellegerem, omnes in ea stare sententia, equitibus quidem securitatem esse debere. Expectamus pro verbis *εἶναι δεῖν*, ut Rauchensteinius recte adnotat, *ἔσεσθαι*. Praeterea autem verborum multitudo aliquo modo me offendit; potius fortasse, quamquam dubito, ferri posset vocabulum *δεῖν*, si verba *πάντας νομίζοντας* non legerentur. Sed quum vv. dd. ad unum omnes verbum corruptum esse consenserint, depravationis argumenta plura afferre vix necessarium est, ac jam de diversis, quae in medium prolatae sint, loci in integrum restituendi conaminibus exponam paucis et, quo modo optime sanari posse putaverim, addam. Sauppius in Rauchensteinii editione conjicit scribendum esse *ἀσφάλειαν εἶναι καὶ ἄδειαν νομίζοντας* vel verbo *ἀσφάλειαν* glossemate, ut dicunt, omisso *εἶναι ἄδειαν νομίζοντας*. Quas conjecturas eis, quae sequuntur, diligentissime spectatis sagaciter esse excogitatas nemo est, quin concedat; de altera utra in textum, qui vocatur, recipienda maxime dubito. Ac in priorem quidem monuerim, conjunctionem verborum *ἀσφάλειαν καὶ ἄδειαν* apud Lysiam me invenire non potuisse, sed etiam in aliis locis Lysiacis verbum *ἀσφάλειαν* solum

verbo κίνδυνος opponi, ut in or. XXXI. §. 7 legimus περὶ πλείονος ποιησάμενον τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν ἢ τὸν κοινὸν τῆς πόλεως κίνδυνον, ita ut membrorum aequabilitas aliquo modo conjectura laedatur; altera autem ne justo sit audacior vereor, verbum enim, quod ad sententiam optime quadrat ac saepissime in hac verborum conjunctione legitur, alio illato removetur. Medela, quam Scheibius (ed. II. praef. p. XLIII.) loco adhibet, qua δεῖν mutetur in δεινόν, lenissima sane est; qua adhibita sententiam, cui praecipue volumus succurrere, emendari non putaverim. Neque enim caussa adest, quapropter omnes hoc ferendum non esse existimaverint, ut equites tuti, pedites in periculis sint — utrumque enim armorum generum diversitate et loci proeliique natura efficitur — neque, ut etiam Kayserus (Philol. XI, p. 146.) monuit, locus ut a Scheibio constitutus est concinit cum verbis, quae sequuntur, ἑτέρων ἀναβάντων ἐπὶ τοὺς ἵππους, quippe qui certe ex illis — πάντας — excepti sint. Kayserus ipse (l. c.) verbum δεῖν fortasse in ἐκεῖ mutandum esse censuit; qua ratione sententiam haud male restitui apparet. Sed quum auctor ipse, qui protulit, ab ea recesserit ac verbum fortasse non satis munite positum sit, hanc mutationem, quae facillima non est, mittamus. Alteram autem Kayseri conjecturam, qua (Heidelb. Jahrbb. 1854. p. 281.) verba δεῖν νομίζοντας expungere simplicissimum putat, multo minus, quo commendetur, habere contendo. Quamvis multas, quibus Lysiae orationes foedatae sint, interpolationes Kayserus recte cognoverit, non semper ab ejus parte hac in re nos stare posse infra videbimus neque hoc loco membrorum aequabilitatem verbis synonymis, quae dicuntur, νομίζοντας et ἡγουμένους effectam, quam Lysiam maxime adamare Rauchensteinius ad or. XXV, §. 22 exemplis allatis (cf. praet. or. X. §§. 6. 8. 13.) recte demonstrasse videtur, tollendam esse puto. Quam Kayseri conjecturam Rauchensteinius, quum in ed. IV. haece fere dicat, optimam loci medelam esse verbum δεῖν cum Kaysero et Cobeto delere, non satis perspicue commemoravit. Neque vero hanc, quam Rauchensteinius intellegit ac Cobetus in ed. adhibuit, viam probaverim; nam quae caussa verbi δεῖν in margine adscribendi et in textum inferendi fuerit, vix cognosci potest. Jam ad ultimam, quae de hoc loco prolata est, conjecturam pervenio. Rauchenst. in ed. III. pro verbo δεῖν scribendum esse ἀποδεδειγμένην auguratus est. Qua ratione, quum verbo eandem fere significationem inesse auctor statuisse videatur, quam, ut exemplum afferam, habet in Xen. anab. VII, 1,26 πολέμιοι ἀποδεδειγμένοι, sententia haud mala nobis redditur. Attamen nimis quaesita est atque a codicis lectione haud parvum distat neque Rauchensteinius in ed. IV. ejus mentionem fecit. Verum eandem fere sententia emen-

datione multo expeditiore existit scribentibus nobis: *ἀσφάλειαν εἶναι δήλην νομίζοντας* vel fortasse si magis placeat *δῆλον νομίζοντας.* Qua recepta corruptelae originem una littera *ε* librarii socordra omissa, quum verborum majusculis scriptorum ductus sint: *ΔΕΙΝ* et *ΔΕΛΕΝ,* facile cognoscere possumus.

In orationibus Lysiae corruptissimis oratio XIX atque in universum jure habetur; neque vero tot tantisque interpolationibus lacunisque majoribus quam Westermannus, vir maximae sane in rebus criticis temperantiae, (quaestiones Lysiacae. part. altera. Lips. 1864.) statuit, eam laborare concedam. Ac primum quidem interpolatori non tribuam §. 5 a verbis *ἀκούω γὰρ ἔγωγε* et §. 6. Nam repetitio verbi *ἀκούω,* alioquin fortasse molestissima, cum tota ejus qui verba facit dicendi ratione optime concinit. Oratio enim in eis est, quibus tota ejus, qui loquitur, indoles virtute illa oratoris, quam Dionysius Halicarnassensis *ἠθοποιΐαν* nominat, luculentissime redditur [1]. Aristophanis filius autem, qui orationem habuit, adolescentem rei publicae imperitissimum ac praecipue modestissimum se ostendit. Quid igitur magis premere debet, quam illud: ea omnia, quae de calumniationibus aliisque proferat, non deprompta ex suo judicio, sed fama et auditione comperta se habere? Nostro loco autem simillima est §. 45 sq., ubi verbum *ἀκούειν* eadem fere ratione, ordine enuntiatorum tantum mutato, bis legitur: *ἀκήκοα γὰρ — ὡς ἐγὼ ἀκούω* quum noster locus habeat: *ὡς ἐγὼ ἀκούω — ἀκούω γὰρ ἔγωγε.* Atque alia quoque in oratione haud male repetita videntur, ut verba *ῥᾴδιον γνῶναι* §§. 24. 27. 18. 53. (11).

Paullo fusius disputem de §. 48, ubi in cod. Pal. haec verba leguntur: *Καλλίας τοίνυν, ὁ Ἱππονίκου, ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ, ὃς πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι καὶ ὥς φησι, διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος, τότε τούτου τοίνυν τίμημα οὐδὲ δυοῖν ταλάντοιν ἐστί.* Quae verba num genuina habenda sint dubitat Kayserus (Philol. XI, p. 154), quum exemplum Calliae cum reliquis, quae id quod indicatum est verbis §. 45 *καὶ ζῶντες μὲν πλουτεῖν ἐδόκουν, ἀποθανόντες δὲ πολὺ παρὰ τὴν δόξαν τὴν ὑμετέραν ἐφάνησαν* demonstrent, non satis concinat. Callia enim etiam vivo quam maxime patuisse, eum pauperem esse factum neque homines eo mortuo ad aliam de ejus re familiari opinionem ductos esse. De talibus solis autem sermonem esse posse, ut iterum patefiat ex §. 49 *καὶ ὅσα μὲν περὶ τεθνεώ-*

1) Dionysii Halicarnassensis judicium et in hac et in aliis rebus plerique vv. dd. recentiores probaverunt, recedit ab eo non semper jure suo Frankenius in comm. Lyss. cf. Kayser, Philol. XXV, 322 sqq.

των λέγουσιν, οὐ πάνυ θαυμάζω — ἀλλ' ὅσα ζώντων ἐπιχειρῆσαι καταψεύδεσθαι. Arisit haec sententia Westermanno [1]) et Rauchensteinio (ed. III. adn.), sed alterum, quum in ed. IV. Kayseri sententiam non commemoret, immo vero id, quod exemplo Calliae demonstretur, indicet, posterius ab ea recessisse apparet. Kayserus contra eam nuper firmare studuit (Philol. XXV, p. 306.): Calliam enim non esse inter eos, quibus mortuis demum, qua re familiari usi sint, homines cognoverint, quippe qui ante civium oculos avita et patrita effuderit et consumpserit. Blassius deinque (l. c. p. 534 cum adn. 3.) exemplum nequaquam cum reliquis congruere, neque vero, ut videtur, ejiciendum esse judicavit. Jam concedendum quidem est, majores locos insitivos in Lysiae cod. Pal. inesse, cujus rei exempla afferam or. nostrae §. 52, quam a Lysia scriptam non esse Westermannus (l. c. p. 17 sqq.), ita ut dubitari vix possit, probavit [2]) et orationis XIII. §. 65—66, quae spuria esse Hamakerus primus contendit [3]). Sed caussae, propter quas verba, de quibus agimus, abjudicanda sint a Lysia, mihi sufficere non videntur. Quamvis multa enim locus contineat, quae Lysias scripsisse non videatur: talia sunt, qualia facile librarii er-

1) l c. p. 19. Alteram propositionem ab eo factam, qua §. 52 in locum verborum §. 48, quae expungere vult, substituantur, esse audaciorem ipse intellexisse videtur.

2) cf. etiam Rauchenstein, Jahns Jahrbb. Bd. 91, p. 600. Locum non interpolatum habet Blass (l. c.), quum illud, quod exemplum ibi allatum extra ordinem positum sit, non satis valeat, immo ordo sententiarum liberior ad rationem Lysianam quadret. Neque vero hoc maxime ad locum oratori abjudicandum me duxit, sed argumenta a Westermanno p. 19 adjecta me inprimis commoverunt.

3) Quaestiones de nonnullis Lysiae orationibus. Lugd. Bat. 1843. p. 53. Quem sequuti sunt Scheibe, vindiciae Lysiacae. Prooemium, p. XV, quum in universum tum in judicandis Hamakeri opinionibus testis gravissimus, Kayserus, Heidelb. Jahrbb. 1866, p. 779, Blassius, l. c. p. 561 sq. adn., Rauchensteinius, ed. IV. p. 82 et 258; refragati sunt Frohbergerus in ed. et Sauppius apud Rauchenst. p. 258. Sed mihi persuaderi non potest, connexum sententiarum, quo a patre ad filios ejus reliquos eorumque crimina orator transit, §§. allatis modo intolerabili non dirimi. Praeter ea autem, quae Rauchensteinius p. 258 aliique attulerunt praecipue verba §. 65: πάντα τοίνυν, ὦ ἄ. δ., ὅσα κακὰ καὶ αἰσχρὰ καὶ τούτῳ καὶ τοῖς τούτου ἀδελφοῖς ἐπιτήδευται πολὺ ἂν εἴη ἔργον λέγειν non prorsus apte conjungi possunt cum eis, quae §. 69 leguntur: εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος δι' ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότος — δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι. — Num Blassius et eum sequutus Rauchensteinius (Jahns Jahrbb. B. 93, p. 652) verba XII, §. 34: φέρε δή, διὰ τί ἄν, εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτύχετε αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς, ἀπεψηφίσασθε; recte ejicienda esse censuerint, maximopere dubito. Antea enim indicavit orator, „id quod Agoratus ipse concedit, scelus gravissimum est;“ pergit autem „confessione sua judicium de se ipso vobis facillimum reddidit“; inter quae verba non tam inepta leguntur.

rore depravari potuerint, ac praecipue in Lysia, quem in antiquitatis scriptoribus temporum iniquitate maxime corruptis esse constat, verba interposita esse non indicant. Quod autem Kayserus in exempli ratione offendit: quantopere a reliquis differat, non nego, facillime autem fieri potuisse puto, ut orator inter cetera, quibus demonstraret, multos viros vivos habitos esse locupletes, mortuos nihil reliquisse, etiam exemplum afferret, quo simpliciter familiam, quae longe ditissima semper aestimata esset, paullo post ad apertam inopiam redactam esse probaret. Quamquam enim a proposito quodam modo aberravit, eo minus ei hoc in opprobrium verti potest, quod exemplum Calliae, cujus avo propter divitias et earum, quae dicebatur, originem cognomen *λακκόπλουτος* fuit, in cujus aedibus Platon Protagoram dialogum habitum esse fingit, notissimum fuit atque omnium, qui illo tempore viverent, animum inopinata, quae ei accidit, mutatione maxime percellere debuit. Atque hac in re id, quod exemplo cum reliquis commune sit, inesse puto; quamvis multa enim Callias per luxuriam atque libidinem (cf. Aristoph. ran. v. 428 sqq.) effuderit, homines eum, cujus pater avusque plurima omnium Graecorum possedebant, ditissimum habuisse verisimile est, dum subito illa, quam juridici concursum dicunt, mutatione omnia corruerent. Similia hodie quoque saepissime eveniunt. Jam ad eam adducor sententiam, ut oratori illius temporis talia exempla enumeranti necessitate quadam Calliae exemplum in mentem venerit, ita ut ejus commemoratio, etiamsi ex aliqua ratione non quadret, maximopere excusaretur. Denique autem ad quaestionem dijudicandam aliquam vim fortasse habent verba §. 49: *φαινόμεθα δὴ καὶ τῶν ἀρχαιοπλούτων πολὺ ἐψευσμένοι καὶ τῶν νεωστὶ παρὰ τὸ εἰκὸς ἐν δόξῃ γεγενημένων.* De quo enim verba *τῶν ἀρχαιοπλούτων* aptius dicantur quam de Callia? Quo non commemorato Nicias fere solus restat, in quem quadrent.

Transeamus igitur eis, quae de loco in universum sentiamus, expositis ad singula. Ac primum quidem viros doctos jure offendit verbum *ὅς*, quod ante *πλεῖστα* legitur, quum praeter anacoluthon, quod existit, verba *ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ*, quae tempus, quo Callias se tam divitem aestimaverit, indicent, hoc verbo interposito enuntiato *πλεῖστα — ἐδόκει κεκτῆσθαι* subjungi non possint. Qua re perspecta Reiskius locum ita sanari posse putavit, ut verbum *ὅς*, quod a librario loco suo motum esset, ante *ὅτε* insereret. Sed vix Lysiae in uno enuntiatio duplex ac tam grave anacoluthon, quod dicitur, tribuerim. Quorum alterum inest in verbis *Καλλίας τοίνυν ὁ Ἱππονίκου — τούτου τοίνυν τίμημα — ἐστί,* alterum in verbis *ὅς, ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ, πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι, καὶ διακοσίων ταλάντων ἐτι-*

μήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος. Haec autem loquendi ratio ita, ut sermonen vulgarem orator imitatus esse dicatur, excusari non potest, quam ob rem conjectura rejicienda est. Neque vero ratio, qua Foertschius (obss. critt. p. 46; antea in com. crit. p. 3. Reiskio adstipulatus est.) verbi ὅς in ὡς mutationem proponens loco succurrere studet, prorsus placet. Quamquam enim constructio verborum hac facillima mutatione facta ita ut debet procedere videtur, tamen verba ὡς πλεῖστα cum tota loci sententia non concinunt. Recte enim dici potest: Καλλίας πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι, sed haud scio an rationes logicas aliquo modo offendant Καλλίας ὡς πλεῖστα ἐδόκει κεκτῆσθαι; certe Calliae, quum optime cogitare possimus virum aliquem Graecum vel Calliam ipsum duplam rem familiarem possedisse, opinio satis mirifica ita tribuitur. Sed jam diutius commoratus sum in hac re, nihil novi afferam, verbum, nisi omnia fallunt, interpolatum est. Deinde igitur ea, quae sequuntur καί, ὡς φησι, διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος accuratius contemplemur. Quibus in verbis Taylorus pro verbo φησί scribere proposuit φασί. Quae conjectura, etiamsi caussa, quae quemque cogat ad mutationem, non exstet, multis ex rationibus commendatur. Calliam enim ad paupertatem redactum de avi divitiis, quas dissipavit, saepius dixisse non verisimile est, illius opes autem, quanti ipse se aestimaverit, quum antea tum mutatione illa facta in omnium ore fuisse, ut jam antea indicavi, maxime consentaneum. Accedit, quod verba ὡς φασι secundum ea, quae supra de §§. 5 et 6 monui, cum tota ejus qui verba facit dicendi ratione optime concinant. cf. §. 53. Sed etiam in ceteris, quae modo adscripsi, mendum inesse puto. Sententiam desideramus: Calliam majorem natu opes suas ducentis talentis aestimasse; quaerendum igitur est, num verba, quae legantur, haec continere possint. Ac medium verbi τιμᾶν, si aliis significationibus omissis de ea, quam hoc loco habeat, agamus, ab activo ita discernitur, ut hoc de aestimatione rerum, quae ad alios, illud de rerum, quae ad subjectum ipsum pertineant, usurpetur. Neque tamen τιμᾶσθαι »opes suas aestimare« — vel si de rebus publicis agatur, »censum suum profiteri« — valet, immo vero simplicem »aestimandi« notionem habet, ita ut subjectum opes suas vel aliud quid aestimet. Rauchensteinius autem, qui interpretatur »schätzte sich«, ipse concedit, raro objectum ut οὐσίαν deesse, neque omnino apud scriptorem bonum locum, quo talis dicendi ratio firmetur, inveniri existimo. Ac vulgaris, in quo cum accusativo conjungitur, loquendi usus exempla afferre vix est necessarium. cf. Plat. legg. XII, p. 755. D. τετιμῆσθαι ἕκαστον τὴν οὐσίαν χρέων et, quum eadem fere verba ac noster locus contineat, Diod. Sicul. XII, 28: τιμᾶσθαι τὰς δαπάνας διακοσίων ταλάντων.

Jam Lysiam, puri sermonis Attici canona optimum (Dionysius Halicarnassensis, de Lysiae judicium. Bd. V, p. 452 ed. Reiske.), ita a consueto dicendi genere recessisse vix statuendum est. Sed objectum ut τὴν οὐσίαν, τὰ χρήματα, τὰ ὄντα cum Marklando adjicientes an justas emendationes fines egrediamur nescio, praecipue quum alia multo magis in promptu sit loci medela. Quid, si scribamus: διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο τὰ αὑτοῦ ὁ πάππος[1])? Quam conjecturam expeditissimam esse, quum litterae τα propter simillimas, quae antecedunt, το facillime omitti potuerint, primo obtutu apparet. Mutationem verbi αὐτοῦ in αὑτοῦ autem ne minimum quidem dubitationem praebere, unusquisque, qui has res primis, ut dicitur, labris attigit, non ignorat. Atque quum in talibus rebus codicum auctoritas in universum non magna, tum in Pal. nostro corruptissimo spiritus asperi verbi αὑτοῦ in lenem mutatio est tam frequens, ut ex more fere librarii facta videatur. cf. XIII, §§. 39, 41, 42. Qua in re Frohbergerum codici nonnullam quidem auctoritatem tribuisse miror. cf. XIII, 41, XXV, 33. Sed fortasse quis emendationem rejiciat, quippe qua recepta verbum, πάππος nimis nudatur. Id quod prorsus nego; nam pronomina personalia saepius ac praecipue in notionibus, quae ad familiam pertinent, omittuntur, neque quum totus sermo de Callia sit, ulla in nostro loco dubitatio, de cujus avo agatur, potest existere. Jam vero nostrae medendi rationi commendatio proficiscitur ex eis quae sequuntur verbis, quae quum in cod. corrupta legi contemplanti cuique dubium esse non possit, priusquam disputationem institutam ad finem perducamus, paucis tractemus necesse est. Verba codicis, de quibus agitur, haece sunt: τότε τούτου τοίνυν. Quibus Scheibius (ed. II praef. p. XLVIII) ita genuinam formam reddi putavit, ut verbum τότε ad superiorem enuntiati partem referretur ac praeterea scriberetur: τούτου τὰ νῦν. Emendationem facillimam esse facile concedamus, sed ne recipiamus plura obstant. Nam primum quidem verbum τότε, quod in fine etiam aliquo modo claudicat, in eis quae antecedunt non habet, ad quae referatur — enuntiatum ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ enim tempus multo posterius notare per se patet. Quae difficultas mihi removeri non videtur Scheibii in praef. interpretatione, qua Reiskium sequutus est »τότε, tum quum id fiebat oppositum est voci νῦν« vel eis, quibus Reiskii verba (lectt. Lyss. l. c.) explicat »cum censum ipse suum apud censores tantum esse profitebatur«; vix enim ex ipso verbo

---

1) Ascensu sua comprobavit propositionem, quum proferrem in seminario philologico, Hermannus Sauppius, magister praeclarissimus, eam autem jam prolatam esse a Scheibio (Jahns Jahrbb. N. F. der Suppl. Bd. I, p. 15) monuit adversarius in disputando Heublerus.

ἐτιμήσατο, quocum τότε conjungendum sit, temporis, ad quod τότε referatur, notio erui potest. Deinde autem, quum τότε voci νῦν oppositum est, num enuntiatum cum priori conjungi et δέ particula carere posset, maximopere dubito. Neque vero adsentiar alteri Scheibianae nodi solvendi viae, qua verbum τότε in ποτέ mutetur, praeterea ut in priori ratione scribatur. Pars enim eorum, quae in alteram emendationem dicta sunt, etiam in hanc valent ac praesertim verbum abundare videtur. Sed illud, quod δέ particula, qua anacoluthon prorsus tollatur, aegre desideretur, fortasse Hermannum Sauppium ad conjecturam felicissimam adduxit, ut majore interpunctionis signo posito scriberet: τὸ δὲ τούτου τοίνυν. Attamen corruptelis locum prorsus liberantibus nobis, ita ut Rauchensteinius fecit, altera quam Westermannus protulit huic emendationi addenda est, ex qua pro verbo τοίνυν scribitur νῦν. Duo enim Calliae minoris vitae tempora opponuntur, alterum patre mortuo, quo divitissimum se habuerit, praesens paupertatis patefactae alterum. Jam vero quum non censum Calliae in universum, sed praesentem quidem commemorari postulemus, vox νῦν necessaria est, latet autem in verbo τοίνυν ex antecedentibus male repetito. Quibus absolutis ad prius enuntiatum καὶ διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο τὰ αὑτοῦ ὁ πάππος respicientes ut tempora Calliae minoris vitae diversa ita etiam Calliae majoris et minoris rem familiarem optime verbis τὰ αὑτου et τὸ δὲ τούτου oppositam esse intellegimus. Itaque posteriore loco, ut dubitari non potest, τὸ δὲ τούτου scripto conjectura τὰ αὑτοῦ etiam ex ratione rhetorica, quum Lysias antitheses ex rebus ipsis ductas amet (cf. Photius, cod. p. 262), maximopere commendatur. In loco autem corruptissimo lenissima medela, quae ab usu Attico recedant, tollentes multo melius agere nobis videmur, quam artificiose insolita sustinentes. Ac simili in re Scheibius, Rauchensteinius, Cobetus Emperium in or. hujus §. 31 φύλακα κατεστήσαμεν ἐν τῇ οἰκίᾳ pro φύλακα κατεστήσαμεν τῇ οἰκίᾳ scribentem recte sequuti sunt.

datione multo expeditiore existit scribentibus nobis: *ἀσφάλειαν εἶναι δήλην νομίζοντας* vel fortasse si magis placeat *δῆλον νομίζοντας.* Qua recepta corruptelae originem una littera *ε* librarii socordra omissa, quum verborum majusculis scriptorum ductus sint: *ΔΕΙΝ* et *ΔΕΛΕΝ*, facile cognoscere possumus.

In orationibus Lysiae corruptissimis oratio XIX atque in universum jure habetur; neque vero tot tantisque interpolationibus lacunisque majoribus quam Westermannus, vir maximae sane in rebus criticis temperantiae, (quaestiones Lysiacae. part. altera. Lips. 1864.) statuit, eam laborare concedam. Ac primum quidem interpolatori non tribuam §. 5 a verbis *ἀκούω γὰρ ἔγωγε* et §. 6. Nam repetitio verbi *ἀκούω*, alioquin fortasse molestissima, cum tota ejus qui verba facit dicendi ratione optime concinit. Oratio enim in eis est, quibus tota ejus, qui loquitur, indoles virtute illa oratoris, quam Dionysius Halicarnassensis *ἠθοποιΐαν* nominat, luculentissime redditur[1]. Aristophanis filius autem, qui orationem habuit, adolescentem rei publicae imperitissimum ac praecipue modestissimum se ostendit. Quid igitur magis premere debet, quam illud: ea omnia, quae de calumniationibus aliisque proferat, non deprompta ex suo judicio, sed fama et auditione comperta se habere? Nostro loco autem simillima est §. 45 sq., ubi verbum *ἀκούειν* eadem fere ratione, ordine enuntiatorum tantum mutato, bis legitur: *ἀκήκοα γὰρ — ὡς ἐγὼ ἀκούω* quum noster locus habeat: *ὡς ἐγὼ ἀκούω — ἀκούω γὰρ ἔγωγε.* Atque alia quoque in oratione haud male repetita videntur, ut verba *ῥᾴδιον γνῶναι* §§. 24. 27. 18. 53. (11).

Paullo fusius disputem de §. 48, ubi in cod. Pal. haec verba leguntur: *Καλλίας τοίνυν, ὁ Ἱππονίκου, ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ, ὃς πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι καὶ ὥς φησι, διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος. τότε τούτου τοίνυν τίμημα οὐδὲ δυοῖν ταλάντοιν ἐστί.* Quae verba num genuina habenda sint dubitat Kayserus (Philol. XI, p. 154), quum exemplum Calliae cum reliquis, quae id quod indicatum est verbis §. 45 *καὶ ζῶντες μὲν πλουτεῖν ἐδόκουν, ἀποθανόντες δὲ πολὺ παρὰ τὴν δόξαν τὴν ὑμετέραν ἐφάνησαν* demonstrent, non satis concinat. Callia enim etiam vivo quam maxime patuisse, eum pauperem esse factum neque homines eo mortuo ad aliam de ejus re familiari opinionem ductos esse. De talibus solis autem sermonem esse posse, ut iterum patefiat ex §. 49 *καὶ ὅσα μὲν περὶ τεθνεώ-*

---

1) Dionysii Halicarnassensis judicium et in hac et in aliis rebus plerique vv. dd. recentiores probaverunt, recedit ab eo non semper jure suo Frankenius in comm. Lyss. cf. Kayser, Philol. XXV, 322 sqq.

των λέγουσιν, οὐ πάνυ θαυμάζω — ἀλλ' ὅσα ζώντων ἐπιχειρῆσαι καταψεύδεσθαι. Arisit haec sententia Westermanno[1]) et Rauchensteinio (ed. III. adn.), sed alterum, quum in ed. IV. Kayseri sententiam non commemoret, immo vero id, quod exemplo Calliae demonstretur, indicet, posterius ab ea recessisse apparet. Kayserus contra eam nuper firmare studuit (Philol. XXV, p. 306.): Calliam enim non esse inter eos, quibus mortuis demum, qua re familiari usi sint, homines cognoverint, quippe qui ante civium oculos avita et patrita effuderit et consumpserit. Blassius deinque (l. c. p. 534 cum adn. 3.) exemplum nequaquam cum reliquis congruere, neque vero, ut videtur, ejiciendum esse judicavit. Jam concedendum quidem est, majores locos insitivos in Lysiae eod. Pal. inesse, cujus rei exempla afferam or. nostrae §. 52, quam a Lysia scriptam non esse Westermannus (l. c. p. 17 sqq.), ita ut dubitari vix possit, probavit[2]) et orationis XIII. §. 65—66, quae spuria esse Hamakerus primus contendit[3]). Sed caussae, propter quas verba, de quibus agimus, abjudicanda sint a Lysia, mihi sufficere non videntur. Quamvis multa enim locus contineat, quae Lysias scripsisse non videatur: talia sunt, qualia facile librarii er-

---

1) l c. p. 19. Alteram propositionem ab eo factam, qua §. 52 in locum verborum §. 48, quae expungere vult, substituantur, esse audaciorem ipse intellexisse videtur.

2) cf. etiam Rauchenstein, Jahns Jahrbb. Bd. 91, p. 600. Locum non interpolatum habet Blass (l. c.), quum illud, quod exemplum ibi allatum extra ordinem positum sit, non satis valeat, immo ordo sententiarum liberior ad rationem Lysianam quadret. Neque vero hoc maxime ad locum oratori abjudicandum me duxit, sed argumenta a Westermanno p. 19 adjecta me inprimis commoverunt.

3) Quaestiones de nonnullis Lysiae orationibus. Lugd. Bat. 1843. p. 53. Quem sequuti sunt Scheibe, vindiciae Lysiacae. Prooemium, p. XV, quum in universum tum in judicandis Hamakeri opinionibus testis gravissimus, Kayserus, Heidelb. Jahrbb. 1866, p. 779, Blassius, l. c. p. 561 sq. adn., Rauchensteinius, ed. IV. p. 82 et 258; refragati sunt Frohbergerus in ed. et Sauppius apud Rauchenst. p. 258. Sed mihi persuaderi non potest, connexum sententiarum, quo a patre ad filios ejus reliquos eorumque crimina orator transit, §§. allatis modo intolerabili non dirimi. Praeter ea autem, quae Rauchensteinius p. 258 aliique attulerunt praecipue verba §. 65: *πάντα τοίνυν, ὦ ἄ. δ., ὅσα κακὰ καὶ αἰσχρὰ καὶ τούτῳ καὶ τοῖς τούτου ἀδελφοῖς ἐπιτήδευται πολὺ ἂν εἴη ἔργον λέγειν* non prorsus apte conjungi possunt cum eis, quae §. 69 leguntur: *εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος ὧν ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότος — δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι.* — Num Blassius et eum sequutus Rauchensteinius (Jahns Jahrbb. B. 93, p. 652) verba XII, §. 34: *φέρε δή, διὰ τί ἄν, εἰ καὶ ἀδελφοὶ ὄντες ἐτύχετε αὐτοῦ ἢ καὶ υἱεῖς, ἀπεψηφίσασθε;* recte ejicienda esse censuerint, maximopere dubito. Antea enim indicavit orator, „id quod Agoratus ipse concedit, scelus gravissimum est;" pergit autem „confessione sua judicium de se ipso vobis facillimum reddidit"; inter quae verba non tam inepta leguntur.

rore depravari potuerint, ac praecipue in Lysia, quem in antiquitatis scriptoribus temporum iniquitate maxime corruptis esse constat, verba interposita esse non indicant. Quod autem Kayserus in exempli ratione offendit: quantopere a reliquis differat, non nego, facillime autem fieri potuisse puto, ut orator inter cetera, quibus demonstraret, multos viros vivos habitos esse locupletes, mortuos nihil reliquisse, etiam exemplum afferret, quo simpliciter familiam, quae longe ditissima semper aestimata esset, paullo post ad apertam inopiam redactam esse probaret. Quamquam enim a proposito quodam modo aberravit, eo minus ei hoc in opprobrium verti potest, quod exemplum Calliae, cujus avo propter divitias et earum, quae dicebatur, originem cognomen *λακκόπλουτος* fuit, in cujus aedibus Platon Protagoram dialogum habitum esse fingit, notissimum fuit atque omnium, qui illo tempore viverent, animum inopinata, quae ei accidit, mutatione maxime percellere debuit. Atque hac in re id, quod exemplo cum reliquis commune sit, inesse puto; quamvis multa enim Callias per luxuriam atque libidinem (cf. Aristoph. ran. v. 428 sqq.) effuderit, homines eum, cujus pater avusque plurima omnium Graecorum possedebant, ditissimum habuisse verisimile est, dum subito illa, quam juridici concursum dicunt, mutatione omnia corruerent. Similia hodie quoque saepissime eveniunt. Jam ad eam adducor sententiam, ut oratori illius temporis talia exempla enumeranti necessitate quadam Calliae exemplum in mentem venerit, ita ut ejus commemoratio, etiamsi ex aliqua ratione non quadret, maximopere excusaretur. Denique autem ad quaestionem dijudicandam aliquam vim fortasse habent verba §. 49: *φαινόμεθα δὴ καὶ τῶν ἀρχαιοπλούτων πολὺ ἐψευσμένοι καὶ τῶν νεωστὶ παρὰ τὸ εἰκὸς ἐν δόξῃ γεγενημένων.* De quo enim verba *τῶν ἀρχαιοπλούτων* aptius dicantur quam de Callia? Quo non commemorato Nicias fere solus restat, in quem quadrent.

Transeamus igitur eis, quae de loco in universum sentiamus, expositis ad singula. Ac primum quidem viros doctos jure offendit verbum *ὅς*, quod ante *πλεῖστα* legitur, quum praeter anacoluthon, quod existit, verba *ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ*, quae tempus, quo Callias se tam divitem aestimaverit, indicent, hoc verbo interposito enuntiato *πλεῖστα — ἐδόκει κεκτῆσθαι* subjungi non possint. Qua re perspecta Reiskius locum ita sanari posse putavit, ut verbum *ὅς*, quod a librario loco suo motum esset, ante *ὅτε* insereret. Sed vix Lysiae in uno enuntiatio duplex ac tam grave anacoluthon, quod dicitur, tribuerim. Quorum alterum inest in verbis *Καλλίας τοίνυν ὁ Ἱππονίκου — τούτου τοίνυν τίμημα — ἐστί*, alterum in verbis *ὅς, ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ, πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι, καὶ διακοσίων ταλάντων ἐτι-*

μήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος. Haec autem loquendi ratio ita, ut sermonen vulgarem orator imitatus esse dicatur, excusari non potest, quam ob rem conjectura rejicienda est. Neque vero ratio, qua Foertschius (obss. critt. p. 46; antea in com. crit. p. 3. Reiskio adstipulatus est.) verbi ὅς in ὡς mutationem proponens loco succurrere studet, prorsus placet. Quamquam enim constructio verborum hac facillima mutatione facta ita ut debet procedere videtur, tamen verba ὡς πλεῖστα cum tota loci sententia non concinunt. Recte enim dici potest: Καλλίας πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ἐδόκει κεκτῆσθαι, sed haud scio an rationes logicas aliquo modo offendant Καλλίας ὡς πλεῖστα ἐδόκει κεκτῆσθαι; certe Calliae, quum optime cogitare possimus virum aliquem Graecum vel Calliam ipsum duplam rem familiarem possedisse, opinio satis mirifica ita tribuitur. Sed jam diutius commoratus sum in hac re, nihil novi afferam, verbum, nisi omnia fallunt, interpolatum est. Deinde igitur ea, quae sequuntur καί, ὥς φησι, διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο αὐτοῦ ὁ πάππος accuratius contemplemur. Quibus in verbis Taylorus pro verbo φησί scribere proposuit φασί. Quae conjectura, etiamsi caussa, quae quemque cogat ad mutationem, non exstet, multis ex rationibus commendatur. Calliam enim ad paupertatem redactum de avi divitiis, quas dissipavit, saepius dixisse non verisimile est, illius opes autem, quanti ipse se aestimaverit, quum antea tum mutatione illa facta in omnium ore fuisse, ut jam antea indicavi, maxime consentaneum. Accedit, quod verba ὥς φασι secundum ea, quae supra de §§. 5 et 6 monui, cum tota ejus qui verba facit dicendi ratione optime concinant. cf. §. 53. Sed etiam in ceteris, quae modo adscripsi, mendum inesse puto. Sententiam desideramus: Calliam majorem natu opes suas ducentis talentis aestimasse; quaerendum igitur est, num verba, quae legantur, haec continere possint. Ac medium verbi τιμᾶν, si aliis significationibus omissis de ea, quam hoc loco habeat, agamus, ab activo ita discernitur, ut hoc de aestimatione rerum, quae ad alios, illud de rerum, quae ad subjectum ipsum pertineant, usurpetur. Neque tamen τιμᾶσθαι »opes suas aestimare« — vel si de rebus publicis agatur, »censum suum profiteri« — valet, immo vero simplicem »aestimandi« notionem habet, ita ut subjectum opes suas vel aliud quid aestimet. Rauchensteinius autem, qui interpretatur »schätzte sich«, ipse concedit, raro objectum ut οὐσίαν deesse, neque omnino apud scriptorem bonum locum, quo talis dicendi ratio firmetur, inveniri existimo. Ac vulgaris, in quo cum accusativo conjungitur, loquendi usus exempla afferre vix est necessarium. cf. Plat. legg. XII, p. 755. D. τετιμῆσθαι ἕκαστον τὴν οὐσίαν χρέων et, quum eadem fere verba ac noster locus contineat, Diod. Sicul. XII, 28: τιμᾶσθαι τὰς δαπάνας διακοσίων ταλάντων.

Jam Lysiam, puri sermonis Attici canona optimum (Dionysius Halicarnassensis, de Lysiae judicium. Bd. V, p. 452 ed. Reiske.), ita a consueto dicendi genere recessisse vix statuendum est. Sed objectum ut τὴν οὐσίαν, τὰ χρήματα, τὰ ὄντα cum Marklando adjicientes an justas emendationes fines egrediamur nescio, praecipue quum alia multo magis in promptu sit loci medela. Quid, si scribamus: διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο τὰ αὑτοῦ ὁ πάππος[1])? Quam conjecturam expeditissimam esse, quum litterae τα propter simillimas, quae antecedunt, το facillime omitti potuerint, primo obtutu apparet. Mutationem verbi αὐτοῦ in αὑτοῦ autem ne minimum quidem dubitationem praebere, unusquisque, qui has res primis, ut dicitur, labris attigit, non ignorat. Atque quum in talibus rebus codicum auctoritas in universum non magna, tum in Pal. nostro corruptissimo spiritus asperi verbi αὑτοῦ in lenem mutatio est tam frequens, ut ex more fere librarii facta videatur. cf. XIII, §§. 39, 41, 42. Qua in re Frohbergerum codici nonnullam quidem auctoritatem tribuisse miror. cf. XIII, 41, XXV, 33. Sed fortasse quis emendationem rejiciat, quippe qua recepta verbum, πάππος nimis nudatur. Id quod prorsus nego; nam pronomina personalia saepius ac praecipue in notionibus, quae ad familiam pertinent, omittuntur, neque quum totus sermo de Callia sit, ulla in nostro loco dubitatio, de cujus avo agatur, potest existere. Jam vero nostrae medendi rationi commendatio proficiscitur ex eis quae sequuntur verbis, quae quum in cod. corrupta legi contemplanti cuique dubium esse non possit, priusquam disputationem institutam ad finem perducamus, paucis tractemus necesse est. Verba codicis, de quibus agitur, haece sunt; τότε τούτου τοίνυν. Quibus Scheibius (ed. II praef. p. XLVIII) ita genuinam formam reddi putavit, ut verbum τότε ad superiorem enuntiati partem referretur ac praeterea scriberetur: τούτου τὰ νῦν. Emendationem facillimam esse facile concedamus, sed ne recipiamus plura obstant. Nam primum quidem verbum τότε, quod in fine etiam aliquo modo claudicat, in eis quae antecedunt non habet, ad quae referatur — enuntiatum ὅτε νεωστὶ ἐτεθνήκει ὁ πατήρ enim tempus multo posterius notare per se patet. Quae difficultas mihi removeri non videtur Scheibii in praef. interpretatione, qua Reiskium sequutus est »τότε, tum quum id fiebat oppositum est voci νῦν« vel eis, quibus Reiskii verba (lectt. Lyss. l. c.) explicat »cum censum ipse suum apud censores tantum esse profitebatur«; vix enim ex ipso verbo

---

1) Ascensu sua comprobavit propositionem, quum proferrem in seminario philologico, Hermannus Sauppius, magister praeclarissimus, eam autem jam prolatam esse a Scheibio (Jahns Jahrbb. N. F. der Suppl. Bd. I, p. 15) monuit adversarius in disputando Heublerus.

ἐτιμήσατο, quocum τότε conjungendum sit, temporis, ad quod τότε referatur, notio erui potest. Deinde autem, quum τότε voci νῦν oppositum est, num enuntiatum cum priori conjungi et δέ particula carere posset, maximopere dubito. Neque vero adsentiar alteri Scheibianae nodi solvendi viae, qua verbum τότε in ποτέ mutetur, praeterea ut in priori ratione scribatur. Pars enim eorum, quae in alteram emendationem dicta sunt, etiam in hanc valent ac praesertim verbum abundare videtur. Sed illud, quod δέ particula, qua anacoluthon prorsus tollatur, aegre desideretur, fortasse Hermannum Sauppium ad conjecturam felicissimam adduxit, ut majore interpunctionis signo posito scriberet: τὸ δὲ τούτου τοίνυν. Attamen corruptelis locum prorsus liberantibus nobis, ita ut Rauchensteinius fecit, altera quam Westermannus protulit huic emendationi addenda est, ex qua pro verbo τοίνυν scribitur νῦν. Duo enim Calliae minoris vitae tempora opponuntur, alterum patre mortuo, quo divitissimum se habuerit, praesens paupertatis patefactae alterum. Jam vero quum non censum Calliae in universum, sed praesentem quidem commemorari postulemus, vox νῦν necessaria est, latet autem in verbo τοίνυν ex antecedentibus male repetito. Quibus absolutis ad prius enuntiatum καὶ διακοσίων ταλάντων ἐτιμήσατο τὰ αὑτοῦ ὁ πάππος respicientes ut tempora Calliae minoris vitae diversa ita etiam Calliae majoris et minoris rem familiarem optime verbis τὰ αὑτου et τὸ δὲ τούτου oppositam esse intellegimus. Itaque posteriore loco, ut dubitari non potest, τὸ δὲ τούτου scripto conjectura τὰ αὑτοῦ etiam ex ratione rhetorica, quum Lysias antitheses ex rebus ipsis ductas amet (cf. Photius, cod. p. 262), maximopere commendatur. In loco autem corruptissimo lenissima medela, quae ab usu Attico recedant, tollentes multo melius agere nobis videmur, quam artificiose insolita sustinentes. Ac simili in re Scheibius, Rauchensteinius, Cobetus Emperium in or. hujus §. 31 φύλακα κατεστήσαμεν ἐν τῇ οἰκίᾳ pro φύλακα κατεστήσαμεν τῇ οἰκίᾳ scribentem recte sequuti sunt.